



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rosa In Hieme**

**Mertz, Martin**

**Antverpiæ, 1627**


**urn:nbn:de:hbz:466:1-42750**


2  
39

Th. 2439.

KIII

19





ROSA IN HIEME.  
VITA  
WILHELMI  
ROTHENSIS

Sanctæ & immortalis memoriæ  
in Suevia Canonici  
Ordinis Præmonstratensis.

Conscribebat R. P. MARTINVS MERTZ  
Cœnobij Rothensis Prior.

Publicabat & Elogio illustrabat R. P. F. Iō.  
CHRYSOSTOMVS VANDER STER-  
RE in S. Michaële Prior Antuerpiæ Ordinis  
Præmonstratensis.



ANTVERPIÆ,  
EX OFFICINA PLANTINIANA.  
M. DC. XXVII.

1704 IN 1704

VITA

WILHELM

ROTHMIS

Stundt & Tagt

in Buchen

in Buchen

Confession

in Buchen

in Buchen

in Buchen

in Buchen



ARTYER

in Buchen

in Buchen

REVER<sup>MO</sup> PATRI  
 AC DOMINO  
 D. GASPARO  
 A QVESTEMBERG  
 Strahouiensis ac Siloënsis  
 Cœnobiorum Ordinis  
 Præmonstratensis  
 ABBATI DIGNISS.

*Eiusdem Ordinis per Bohemiæ, Pannoniæ,  
 Sarmatiæ Regna, Austriamque Visi-  
 tatori, Sacræ Cæsareæ Ma<sup>ti</sup> Consilia-  
 rio, &c. Domino suo obseruandissimo.*



IDE LIS illa ac religio-  
 sa Elcanæ coniux An-  
 na, REVERENDIS-  
 SIME PATER, nouo  
 aucta Samuële, dum lætabunda pro-  
 rumpit in verba Cantici; *Dominus, in-  
 quit, pauperem facit & ditat, humiliat*



4  
Et subleuat. Suscitāt de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. Iisdem meritò nunc exultet in Deo salutari suo Candida Sancti NORBERTI, ac cælitus Præmonstrata familia, quæ velut altera quædam Anna turbatissimis olim temporibus, diuino planè cæli munere, militanti Ecclesiæ nouum educauit Samuëlem, dum Magdeburgensi Cathedræ sanctissimum Archiepiscopum, totiq̃ue Germaniæ dignissimum Primate[m] protulit Diuum NORBERTVM: quem nuper cum ingenti cordis nostri exultatione, auspicijs quidem gloriosissimi Cæsaris nostri FERDINANDI, ast sollerti opera Reu<sup>mæ</sup> P. T. è diutino illo suo & inglorio apud hostes fidei nostræ situ ereptum intelleximus, cum solemnissimi triumph[i] gloria in vestrum illud Pragæ regale Cœnobium Montis Sion inferendum. Stetit ille  
ali-

5  
aliquando ad instar eius, quē similem  
Filio hominis in Apocalypsi sua vidit  
S. Ioannes Theologus podere indu-  
tum zonaque aurea præcinctum circa  
mamillas, inter septem candelabra  
aurea; septem intelligo Archiepisco-  
pales Germaniæ Ecclesias, quibus ipse  
totius Germaniæ Primas magna san-  
ctitatis ac sapientiæ laude præmine-  
bat: verum postquam sæculo elapso  
impia Iezabelis conatu (hæresim in-  
telligo) vinea innocentis Naboth, Ca-  
tholica ibidem Christi Ecclesia, in  
hortum conuersa est olerum; iacuit  
Magdeburgi venerandum tanti Ar-  
chiepiscopi corpus, sacrum illud Ani-  
mæ beatæ depositum cultu illo desti-  
tutum, quo Sanctorū in terris exuias  
prosequi solet Christiana Religio. Be-  
nedictus Deus, qui R<sup>mæ</sup> P. T. manus  
tanti operis patratiōe non est dedigna-  
tus, vestroque pio ministerio in lucem  
proferri voluit tantam aliquando Oc-  
cidentis Ecclesiæ lucem. Benedictus

A 3

Deus,

Deus, qui pijsfimo Cæsare procurante subleuare statuit caput nostri Ioakim, vt collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui, vt solium gloriae teneat; adeoque pro diebus quibus in tenebris inglorius delituit, multo cum fœnore debitos ipsi duplicet triūphos.

In hac communi gestientis Ordinis nostri Candidi lætitia, degenerem me tantoque Parente filium indignum probarem, si non pro modulo meo hanc eius Translationis solemnitatem, dum coram non licet varijs obedientiæ vinculis constricto, eminus saltem venerarer. Quomodo ergo nunc Antuerpiâ, ex Plantiniano Typographeio verè Regio, Steiueldensem nostrum IOSEPH ad Sacram Cæsaream Mat<sup>tem</sup>, quam adeò cultui suo promouendo studere è cælo iucundissimè intellexit, in Bohemiam ablegamus; ita eidem, qui pro nobis celeberrimo huic Parentis nostri Triumpho (quem ad v. i. Non. Maias illi decre-

7  
creuistis) interfit, comitem dare vi-  
sum est Sanctæ memoriæ WILHEL-  
MVM Rothensis in Sueuia Ecclesiæ  
Canonicum, I O S E P H O magna vir-  
tutum paritate, ac potissimum casti-  
tatis, humilitatis ac patientiæ laude,  
nec non eximio Virginis-Matris cul-  
tu verè germanum. Gaudet ille, qui in  
florentissima Sueuiæ Circaria, velut  
inter spinas lilium, iam olim germi-  
navit, inclytam vestram Bohemiam  
ceterasque Cæsari subiectas Prouin-  
cias, & in illis religiosissimos suos  
Confratres, hac oblata gloriosa occa-  
sione inuisere: quin & R<sup>ma</sup> P.T. sa-  
cris optat manibus oscula deuota fi-  
gere, quam adeò infracto animo pro  
religiosa disciplina facta recta seruan-  
da, pios magni nuper LOHELII  
nostri conatus prosequi videt. Ar-  
det ille, qui paruulus semper in oculis  
suis & abiectus, de se humiliter sensit,  
humilibusque consensit, suos in Pro-  
uincijs curæ tuæ commissis Noui-

tios fratres ac Candidæ huius militiæ Tyrones adire, quibus seipsum in accurata Regularis disciplinæ obseruantia exactissimum in omnibus præbeat exemplar: quamuis & hoc ad eius commendationem meritò proferatur, adeò in gradu heroïco eius excelluisse virtutes, vt etiam veteranum quemque exercitatissimum in sui imitatione fatigent.

Huius itaque WILHELMI Vitam, omnino exemplarem, & quæ meritò omnibus Candidi Ordinis professoribus imitanda præfigatur, quamque non semel in præclaro illo suo Catechistico Opere eximiè laudat R<sup>dus</sup> admodum D. Seruatius de Lairuelz; cùm in illo meo rerum Ordinis nostri, quas ex Superiorum meorum placito illustrandas suscepi, sacro Apparatu mecum perbenignè communicatam haberem, ab R<sup>do</sup> admodum P. ac Domino D. Ioachimo celeberrimi Rothenfis Cœnobij Abbate,

9  
bate, nec non Sueuicæ Circariæ Vifi-  
tatore dignissimo, cui ea primùm ab  
Auctore inscripta fuit; operæ me pre-  
tium facturum putavi, si eandem ce-  
teris Ordinis Ecclesijs per Reuer<sup>mam</sup>  
P. T. communem facerem : quæ  
dum pro Monasticæ disciplinæ inte-  
gritate restituenda ac stabilienda in-  
defessam nauat operam, tum potissi-  
mùm circa Nouitiorum culturam,  
vnde totius Ordinis bonum depen-  
det, singulariter inuigilat. Visum mihi  
fuit non à Triumpho huius gloria alie-  
num fore, si ex fertilissimo hoc nostro  
& verè præmonstrato cælestium lilio-  
rum prato florilegium aliquod decer-  
perem ad triumphales Aras S<sup>mo</sup> P. no-  
stro NORBERTO in hac eius Trans-  
latione substernendum: atque ita dum  
per Pijssimum Cæsarem, Beatissi-  
mum IOSEPH velut præstantissi-  
mum quoddam Liliū Diuinæ Ma<sup>ti</sup>  
exhibemus, per R<sup>mæ</sup> P. T. manus  
WILHELMVM hunc nostrum vel-

A 5 ut

ut ROSAM quamdam purpuream  
 offerimus, quæ eximio cæli fauore IN  
 HIEME floruit: cuius eò gratiùs sua-  
 ue-fragrantis odor legentium nares af-  
 ficiet, quò tempore magis intempesto  
 medias inter Germaniæ niues, ac cir-  
 cumstans hæreseos frigus, pullularit:  
 atque ideò hanc eius Vitam ROSAM  
 IN HIEME meritò vocamus. Certè  
 iam olim tantum apud Romanos hi-  
 bernæ Rosæ pretium inuenerunt, vt  
 ex Ægypto quotannis magno loco-  
 rum interuallo dignum Imperatoria  
 Mat<sup>te</sup> munus adferri consueuerint.  
 Quin & Philanthropus ille Deus,  
 cuius deliciae sunt esse cum filijs ho-  
 minum, quò erga electas animas  
 Amoris sui teneritudinem magis de-  
 clararet, vel in media hieme subinde  
 Sanctis suis Rosas producere digna-  
 tus est. Ita Seraphico Francisco, Diuo  
 Bonauentura teste, Rosas in hieme  
 roseta protulerunt. Sed & B. Iacobo  
 Salomonio Ordinis Prædicatorum  
 (vt

(vt auctor est Ioannes Antonius Flaminus) cùm mense Nouembri ad horti rosarium peruenisset eo tempore folijs prorsus exutum, pulcherrimam repentè Deus rosam enasci fecit, quam ingenti lætitia decerptam, ac miram odoris suauitatem emittentem, stupentibus omnibus ostendit. Voluerat animo Vir sanctus eodem ipso die qui erat xv. Kal. Decemb. quomodo olim ad commendationem gloriosi interitus SS. Asciseli & Victoriæ germanorum, Deus Cordubæ in Hispania rosas diuinitus, quales verno tempore florere solent, oriri fecisset.

Hanc igitur ROSAM nostram IN  
HIEME natam, magni Patris nostri  
NORBERTI gloriæ dedicandam,  
Reu<sup>m</sup> P. T. qua par est obseruantia  
& submissione offero: Vitam inquam  
WILHELMI Rothensis, iisdem  
ipsis verbis, quibus à grauiissimo ac  
eruditissimo Auctore P. Martino  
Mertz Rothensis Cœnobij Priore,  
con-

con-



conscripta est. Subiunxi eidem Elo-  
 gium quo aliquando in nostro Præ-  
 monstratensi HAGIOLOGIO fan-  
 ctam WILHELMI memoriam ad  
 v. Kal. Apriles celebrare conati fui-  
 mus, dum collectas velut spicas ali-  
 quot cum Ruth Moabitide post terga  
 metentium, ex ijs quæ apud Reu<sup>dum</sup>  
 admodum D. Seruatium de Lairuelz  
 sparsim haberentur, quasi fasciculum  
 colligauerim, antequam hæc eius  
 Vitæ historia ex Sueuia mihi submit-  
 teretur. Rogo obnixè Reu<sup>mam</sup> P. T.  
 vt sicut Reu<sup>mi</sup> totius Ordinis Genera-  
 lis nomine per Bohemiæ, Pannoniæ,  
 Sarmatiæ Regna, nec non Austriam,  
 Morauiam, Silesiamque, Præmon-  
 stratensi familiæ præsidet; ita etiam  
 sua auctoritate WILHELMO no-  
 stro, in omnia Canonicorum suo-  
 rum ac Nouitiorum domicilia, cellas  
 & triclinia aditus pateat: per quem  
 humiliter R<sup>mæ</sup> P. T. manus exosculor,  
 & omni qua possum instantia Deum  
 Opt.

Opt. Max. rogo, vt sicut olim ad Israë-  
 lis ingressum ouili Laban; ita etiam  
 inclito ac celeberrimo Cœnobio ve-  
 stro ad hunc S. NORBERTI ingres-  
 sum benedicere dignetur: qui etiam  
 R<sup>mam</sup> P. T. ad multos annos seruet ac  
 fospitet. Antuerpiæ, in nostro S. Mi-  
 chaëlis Cœnobio XII. Kal. Maias  
 M. DC. XXVII.

*Reu<sup>ma</sup> P. T. deuotissimus in Christo*

F. Io. Chrysofomus vander Sterre.

Ad-

Admodum R<sup>do</sup> in CHRISTO  
 Patri ac Domino  
 D. IOACHIMO,  
 Celebris SS. MARIAE ac VERENAE  
 Cœnobij Rothensis, Ordinis  
 Præmonstratensis,  
 P R Æ S V L I  
 Amplissimo ac Dignissimo,  
 Patri suo summa obseruantia colendo.



A M videmus, Præsul am-  
 plissime, rebus præclarè ge-  
 stis, maximè eorum qui vel  
 sanguine vel alio quouis vin-  
 culo nobis iuncti cognoscuntur, inesse vim  
 ac vires, vt ob oculos posita maximum ad  
 animos commouendos incitandosque pon-  
 dus ac momentum habeant, & æmulos  
 quosdam sub intuentium aut contemplan-  
 tium pectore (nisi planè omnino seruile &  
 abiectum

*abiectum sit) stimulos excitare soleant, ac quosuis vel paulò generosiori animo ornatos facile ad similia studia non tantùm incitare, sed etiam quasi impellere valeant. Quod cùm ita se habeat, sæpenumerò mecum ipse tacitus fui miratus, præclara nostrorum facta, vitas inculpatas, imò sanctas, nostræ etiam ætatis, ita negligi, ita alta obliuione sepulta iacere; quæ in lucem prolata eximium Monasterijs decus, ac insigne posteris paritura essent emolumentum. Id quod in admirabili nostri immortalis memorie WILHELMI Vita accidere multò ægrius ac grauiùs tuli; adeò vt, nisi perpetuis quibus omnes nostri distinentur laboribus rem adscribendam nossem, nimio opere ijs non succensere non possem. Verùm quod alij hætenus præstare vel intermiserunt, vel non potuerunt, ego aggrediendum mihi censui: quod cùm nunc effectum datum sit, Vitæ eius post longa temporum desideriorumque interualla leui ac rudi penicillo adumbratæ patronum aliquem ac fautorem seligendum iudico:*

*quem*

quem dum vndique circumspiciens & omnes perlustrans querere & cooptare instituo, nullum qui potiores sibi partes vendicet, inuenio, quàm te Præsul dignissime. Tibi enim & me & mea omnia debere me nisi medullitus agnoscam & fatear, non solum summè ingratus, sed planè impius meritò censerì potuerim: quare hunc ipsum exiguum quem suscepi, & ad finem nunc perduxi, laborem iam antea tuum, tibi dicandum existimaui. Accedit, quòd ei, quem hìc depingo, cum lecto fatali morbo conflèctatus decumberet, inseruire, & eius singulari amore ac fauore præ ceteris numquam non gaudere tibi licuit, quem contrà tenera semper dilectione & veneratione prosequi, ac laudes eius aliis decantare persæpè es solitus; vt meritò non dispiciam cui maiori iure hoc qualecumque opus debeatur, quàm tibi, tanto eius amatori & fautori: præterquam quòd id temporis, quo hæc elaboro, huius nostri Cænobij (cuius WILHELMII quondam membrum fuerat) clauum grauem ac difficilem,

innu-

innumerisque difficultatibus, oneribus, pe-  
 riculis implicatum & obseptum modera-  
 ris; & id quidem tanta cum laude, tanta  
 cum felicitate, vt, si Deus ille supremus  
 rerum Arbiter, in cuius manu Regum ac  
 Prælatorum vita posita est, in multos an-  
 nos sospitem & incolumem (quod vnum  
 omnibus animi votis ardentibusque suspi-  
 riis comprecamur) te nobis seruauerit, cer-  
 ta spe nitamur, non solum temporalium  
 Monasterij bonorum miserè iactatam fa-  
 ciem in integrum restituendam, sed & ve-  
 ram NORBERTINAE disciplinae nor-  
 mam, ac antiquum illud Religionis decus,  
 recens à te fundata, irrigata & aucta, ita  
 stabilienda, vt meritò eternum illa deinceps  
 duratura conijcere possimus. Accipe  
 igitur, Admodum Reuerende Antistes,  
 placido vultu non tam meum quàm tuum,  
 quem tutelæ tuæ confecro laborem, pignus  
 illius mei erga te animi, qui debet esse alum-  
 ni erga Mecænatem, Subditi erga Supe-  
 riorem, Religiosi erga Abbatem, filij erga  
 Patrem, Patrem dico suos materna pietate,  
 B cura,

cura, visceribus complectentem, ac velut  
 teneros filios tenerè fouentem; accipe, in-  
 quam, & me cum meis teneris à te mihi  
 commissis filiolis inter reliquos, vt soles,  
 fouere perge. Vale, ac Deo, Ecclesia, Ordi-  
 ni, Cœnobio, Tibi, diu incolumis ac super-  
 stes feliciter viue. Ex tuo, quod instituisti,  
 Tyronum ac Nouitiorum Museo, ipso Di-  
 uæ Agneti sacro die, anno à partu Virgi-  
 nis M. D C. X V I.

Admodum R<sup>dx</sup> P. T.

obsequentissimus filius

F. Martinus Mertz Nouitiorum  
 Magister.

Ad-

Admodum R<sup>do</sup> in CHRISTO  
 Patri ac Domino  
 D. SERVATIO  
 DE LAIRVELZ,  
 SS. Theologiæ Doctori,  
 S. MARIAE Muffipontanæ Maioris  
 ABBATI,

Reuerend<sup>mi</sup> in CHRISTO Patris ac Do-  
 mini D. PETRI, sacratissimi Ordinis  
 & Cœnobij Præmonstratensis Abbatis  
 & Reformatoris Generalis, Vicario di-  
 gnissimo, vigilantissimo,

F. IOACHIMVS Cœnobij SS. MARIAE  
 & VERENÆ in Roth humilis Abbas  
 salutem, obseruantiam & obedientiam  
 condignam.



AGNVM profectò animi  
 desiderium amorémque, quo  
 in rebus præclarioribus Or-  
 dinis nostri cognoscendis pæ-  
 nè deperit, numquam non in P. V<sup>ra</sup> nota-

B 2

reli-



re licuit, tum ex ardenti earum inuestigatione, qua vtebatur sollicitè, cum nobis Visitationum per Germaniam cursum conficiens presens esset; tum verò & maximè ex docta illa, quam typis in magnum omnium nostrum emolumentum publicis mandavit, Regularium Optica: in qua indefessum studium, labor & sollicitudo, quibus res Ordinis ex altis obliuionum tenebris in lucem & aspectum eruere summa contentione annitur, vel meridiana luce clariùs emicant. Quod cum ita se habeat, oblatam, mihi que non ita pridem à nostrorum Magistro Nouitiorum F. Martino Mertz inscriptam, immortalis memoria F. WILHELMI EISELIN, huius Rothensis quondam Cœnobij Canonici, æquè gratam ac multum exoptatam Vitæ sanctè peractæ seriem, mihi soli retinendam in animum inducere nequaquam potui, sed eam P. Ura planè offerendam esse visum fuit: etenim præterquam quòd eam duobus abhinc annis sibi communicari coràm P. Vram petuisse inaudiui, magni illi  
 pro

pro nobis suscepti labores, impensi fauores,  
 nostra vicissim, qua in P. Vram ferimur,  
 prompta voluntas, charitas & debitum  
 officium, illam ipsam non tantum exigere,  
 verum etiam plane extorquere videntur,  
 ut ita in huius nostri communis boni gau-  
 dijque participationem veniat. Quapro-  
 pter hoc quaecumque opus, ut maius lu-  
 men hac ipsa ratione consequatur, conscri-  
 ptum P. Vrae velut perpetuum insignis no-  
 stri erga eandem animi monumentum, in-  
 scribere, & ea qua par est, tum beneuo-  
 lentia tum obseruantia offerre placuit:  
 quam ut grata placidaque mente suscipiat,  
 rogandum nequaquam existimo; quando-  
 quidem supra quam dici possit propensam  
 ad similia acceptanda, fouenda ac tuen-  
 da, voluntatem, ex alijs liquidò licet conij-  
 cere: quare eo vultu hoc quale quale mu-  
 nus, quo alia, haud dubiè amplectetur &  
 prosequetur. Hisce in CHRISTO IESU  
 & VIRGINE DEIPARA & S. Patre  
 nostro NORBERTO valeat, ac Deo, Ec-  
 clesiae, Ordini, Monasterio, sibi in multos

B 3      annos

annos superstes & incolumis fortunato  
cursu vivat. Data ex nostro SS. MA-  
RIAE & VERENAE Cœnobio Roth, die  
IV. Augusti, anno à partu Virginis supra  
millesimum sexcentimum decimo sexto.

Admodum R. P. V<sup>rx</sup>

deuotus & obsequens

F. IOACHIMVS Abbas.

AD

AD LECTOREM.

PERLEGE quam vixit vitam, si noscere tantum;  
Sin, quam nunc vivit, vivere vis, PERAGE.

AD R. P. MARTINVM MERTZ  
Magistrum Nouitiorum  
Auctorem Libri.

**N**OSTRAM non poteris melius componere vitam,  
Quam describendo, quam pia Fratris erat.  
Antiquos etenim si quos tulit ultima Scetis,  
Thebais aut aluit quos veneranda Patres,  
Nobis proponas; quaedam admiranda videmus,  
Acta Dei nutu, non imitanda tamen:  
Sed Iuuenem nostrum, nostros qui viderat annos,  
Si monstres, talis quilibet esse potest.  
Nec scio qua ratione magis qua proxima ducunt,  
Quodque vides fieri, te quoque posse putas.  
Sic ergo scripta haec, sic acta est vita, volenti  
Difficile ut non sit, quod fuit ille, fore.  
Quem fructum exspectas Pater? Hunc: queis turpe  
relinqui est,  
VVILHELM I in vitam, qua data porta, ruent.

B 4 AD

AD D. VIRGINEM MARIAM  
ORDINIS ET VVILHELMI  
PATRONAM.

**N**OSTRVM delictum, Patrona nostra,  
Inceptū ō nimium tenens amorem!  
Quæ floreta semel manu ferebas,  
Numquam deseris, addis vsque & vsque,  
Quod plantata riget, rigata formet.  
Cœtum candida candidum vocasti,  
Constanter retines, fouesque alisque,  
Et flores generas novos, nouosque.  
Sic quondam tulerat tibi IACOBVM  
Nostra hæc area: sic dein sodalem  
IOSEPHVM, nimio fauore cultum:  
Sic multos tibi, sacra Virgo, notos;  
Nostrum denique, ceu rosam vepreta,  
VVILHELMVM tulit (hunc refert libellus.)  
Sic & proferet alteros sequentes,  
Si perrexeris vt prius fauere.  
Ergo Mater ades, riga, foueto,  
Et plenos calathos feres rosarum.  
Nam nemo, nisi protegis, virebit;  
Et nemo, nisi proijcis, peribit.

PRÆ-

## PRÆFATIO

Ad filios suos teneros &amp; Nouitios.



NON ignoratis, Fratres ac filij in Deo & Deipara dilectissimi, quàm assiduis precibus sollicitisque apud me institeritis, ut immortalis memoria F. nostri

VVILHELMI (de quo sapiùs vobis modo cohortatorio multa non sine animorum admiratione ac emollitione enarraui) facta præclara, vit amq; ut austeram, ita innocentiam conspicuam, calamo tandem persequi, ac in vestrum saltem emolumentum, vel breui descriptione perstringere non grauarer. Quod opus etsi diu ultrò, nescio qua occulta amoris vi in VVILHELMVM incitatus, molitus fuerim: hætenus tamen semper negotiorum (quæ vobis non ignorantur) multitudo, & varia variarum rerum administratio, impedimento fuere, quò minùs iustis mei iuxta ac vestri animi votis satisfacere moremq; gerere potuerim. Nunc quale quale tempus nactus, rem etiam arduam ulterius procrastinandam, nulla ratione dubitavi; sed manum, licet imbecillem, vacillantem, & alijs pluribus adhuc prægravatam, operi admonendam duxi, ut VVILHELMII supradicti Iuuenis vitæ sanctitate & morum suauitate integerrimi acta pro argumento

B 5

huius

huius scriptiois assumens, vobis mihiq̄, gratifi-  
 carer: idq̄, ea maximè de causa, quòd noua, &  
 quæ nostro contigerunt tempore, numquam non  
 gratiora sint, & plus moueant, maiusq̄ pondus  
 apud tyrones, quin etiam veteranos, in militia  
 spiritali ad animos commouendos & quocum-  
 que velis inflectendos habeant. Nunc autem  
 non solum nostra ætate viuentem, qui nobiscum  
 superstites adhuc degunt (ut scitis ipsi) videre,  
 sed ex ijs aliqui Magistri in literis ac ductores  
 in via spiritali eidem esse digni habiti sunt,  
 ipseq̄, annis primùm abhinc aliquot supra vi-  
 ginti corporis ergastulo solutus, gloriosa morte  
 defunctus, immortalẽ in calis gloriam rece-  
 pit. Adeste igitur Fratres, & vestri Commili-  
 tonis facta non tam encomijs concinnè extol-  
 lentis, quàm simplici stilo vitæ decursum & in-  
 nocentiam breuiter percurrentis orationem di-  
 ligenti studio euoluite, alta mente reponite, ut  
 inde vobis vitæ normam componentes, qui in  
 eodem cum illo stadio decurritis, eadem etiam  
 cum illo contentione ad virtutem ac religiosam  
 perfectionem, & brauium denique, grassari ani-  
 mosè contendatis.

Vester deuotus ductor & sollicitus Magister

F. Martinus Mertz,

VITÆ  
WILHELMI  
ROTHENSIS  
LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

*De Patria Parentibúsqve* VVILHELM I.



INTER alia complura Sue-  
uiæ & soli præstantiâ & in-  
colarum fortitudine nobi-  
lissimæ regionis oppida, est  
quoddam situ peramœnum  
& pulchrum *Mindelheim* incolis voca-  
tum, altero aut tertio etiam milliari Ger-  
manico *Memmingâ* Imperij vrbe distans,  
alluiturque fluuio iucundo & piscoso *Min-  
dela* dicto, à quo ipsum etiam nomen tra-  
here videtur: regebatur antehac imperio  
variorum Baronum succedentium, nunc  
autem subest Serenissimo Bauariæ Duci.  
Hoc oppidum Patria fuit nostro VVIL-  
HELM O, felix tanto partu, longè clarissi-  
mum futurum, si suos intra sinus Angeli-  
cum Iuuenem retinere, ei que nihilominus  
ad



28 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
ad tam altos sanctitatis gradus viam ster-  
nere meruisset ; ex eo namque æternum si-  
bi nomen & encomium comparasset. Pa-  
rentes eius, huius oppidi ciues, non tam ge-  
neris claritate & imaginum splendore con-  
spicui, quàm mira animi simplicitate ac vi-  
tæ integritate plurimùm commendati,  
panni mercaturam & negotiationem exer-  
cebant ; inter medios sæculi & curarum  
fluctus nihilofeciùs antiqua fidei Catho-  
licæ veritate, & vera Christianæ disciplinæ  
religione ac probitate, nihil antiquius ha-  
bebant : quibus inter alias hæc etiam ad-  
miranda proles diuino munere obtigit,  
digni sanè qui eam susciperent, non tam  
diuitiarum quàm tantarum virtutum he-  
redem ; & talem quidem, qui immortalibus  
hiscè thesauris longè adhuc maiores, dex-  
terâ Excelsi tactus & subleuatus, proprio  
etiam studio exacuatus, additurus esset,  
Parentes suos in omni pietatis genere mul-  
tis parasangis post se relinquens.

## C A P V T I I.

*De educatione Pueri, & applicatione  
ad studia.*

**S**OLLICITI ac pij Parentes, graui qua-  
dam & ad pietatem omnem facili ac  
pro-

procliui indole in VVILHELMO suo animaduersa, seriam eius debite & religiosè educandi curam in omnibus agebant; & quàm primùm per ætatem aptus studijs literarum fieri cœpit, ne ager tantæ spei per otium, negligentiam ac puerilem licentiam siluesceret, & in spinas tribulosque inscitiae & malitiae abiret, quod facile fieri in tam tenero flore, exemplis heu nimium edocti videbant, bonis literis imbuendum in scholas eum abdere in primis curæ habebant: sed contagiosa pestis lue, quæ tum passim grassabatur, præpropere abrepti, orphanum filiolum reliquerunt, non item pupillorum tutor ac pauperum pater Deus: etenim à propinquis Memmingam, ciuitatem alioqui hæreticam, sed multis Catholicis & Religiosorum etiam cœtibus habitatam, missus, in R. P. Georgij Harer, Ordinis S. Spiritus ad D. Virginem Parochi, conuictum certâ pecuniâ applicitus fuit. Hic bonus puer in ciuitate & iuuentute non nisi ad luxum ac omnè nequitiam instructa adeò se probauit, vt coæuorum consortia tamquam pestem abominaretur & declinaret; non otio, lusibus, aliisque puerorum næuis oblectatus, sed iam tum velut alto Dei spiritu in domus solitudinem ductus, vel literis vel  
 preci-

30 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
precibus aliisque id generis celestibus exercitiis tempus terere, & animum impedere, laudabile duxit, suaue & iucundum expertus est. Quo nomine eum plurimum commendari & extolli audiui à Sororibus Memminganis & earum Prefecta, ad quas Innocens frequenter ventitabat, cum ijs de rebus sacris & celestibus, quibus auidè inhiabat, ardenter & inflammato pectore collocutus; eaque de re maximè illis gratus fuit, vt qui feruore incensus, omnia earum pia exercitia, ad dies solemnes & festiuos cum magno fructu spiritus transigendos, supra ætatis illius fidem fortiter arriperet ac constanter retineret.

### CAPVT III.

#### *Promotio eius in Monasterium Roth.*

**S**EDEBAT tunc ad clauum Abbatialem in hoc S. Verenæ Cœnobio Roth, magni vir nominis & laudis MARTINVS ERMAN, Sueuicæ Prouinciæ visitandæ non sine magno Ordinis decore & emolumento Præpositus: qui dilaceratam pænè Norbertinæ familiæ disciplinam, præcipuè suo in Cœnobio, quantum temporis iniuria & hominum improbitas permittebant, forti animo omnia aggressus, resarcire omnimodo

modo & via conatus: & sanè satis multum effecit, posterisque ad maiora præstanda viam complanando strauit, occasionemq; exoptatam præbuit; rem daturus ipse effectam longè præstantiorem, nisi & doctorum hominum raritas, & potentioris manus auxiliatricis ob bellicos tumultus inopia, felicem eius cursum inhibuissent. Cùm igitur Sacerdos ille, in cuius conuictu puerum viuere indicauimus, eum non sæculo, sed Deo & diuinis natum aptumque, ex quotidiano illius viuendi modo & progressu coniecturam faciens, liquidò perspiceret; suarum partium esse ratus, ne VVILHELMO deesset, de commoda ei statione prouidere, vbi cœptam vitæ inculpatæ militiam continuare & perficere laudabiliter posset. Occurrit inter alias laudabilis Rothensis Congregatio, Præfulis antedicti curâ & operâ singulari religiosè effulgere incipiens: apud eum igitur quia amicitia & familiaritate multum valebat, precibus & supplici intercessione, Deo interim disponente & successum fortunante, rem eò deduxit, vt communibus votis ac calculis puer pius & ante tempus maturus in Monasterij scholam ac Conuentum susciperetur.

## CAPVT IV.

*De progressu eius in omnibus.*

**E**x sæculi libertate, vana & libera viuendi area egressus, qui antea, cum more aliorum puerorum euagari & puerilibus ludis libertatibusque vacare posset, domi se continens maluit in literarum aliarumque piarum rerum exercitatione sedula sese occupare & excolere, nactus in Cœnobio maiorem ansam & occasionem eadem melius ac perfectius exercendi, temporis talem rationem habuit, qualem vix multi grandæui; sollicitè primis studiorum fundamentis insistens: & quia natura ei ingenium minùs fertile veloxque tribuerat, vt tardè difficulterque caperet quidquid addiscendum esset; vt huic malo remedium adferret, temporis diligenti & exacta obseruatione, laboris improbi contentione, precum etiam instantia & orationum feruore, tarditatem omnem omni modo & ratione supplere conatus fuit: semper tamen minùs feliciter; etenim plerumque tardiores progressus inter crebras etiam obiurgationes faciebat, nihil tamen de suo labore aut solertia vmquam desiderari passus.

C A-

## CAPVT V.

*Candido habitu induitur.*

**M**ORIS tunc erat, & etiamnum plerumque est, susceptos pueros non statim ad candidum promouere habitum, ac in Nouitiorum numerum cooptare, sed nigra talari tunica indutos priùs aliquamdiu alere, vt ita & iustiùs animi sui ac futuræ exspectationis specimen alijs de se præbere, & ipsi Ordinis rigorem, Cœnobij disciplinam, hominumque quibuscum viuendum est, mores & affectus periclitari & experiri valeant; ne candido statim habitu indutos, vel ferendis oneribus non sufficientes ac ineptos, vel minùs benè se suamque conuersationem probantes, maiore cum dedecore postmodum dimitti oporteat: quod apud homines huius sæculi, rem non adeò perspectam habentes, probro ignominiaque dari consuevit. In hoc ergo primo quasi tyrocinio, cum talem se noster **VILHELMVS** exhibuisset, vt olim magnum Religiosæ vitæ cultorem se futurum spem haud dubiam faceret; candido Ordinis habitu indutus, & ad animi sui vnicum tunc votum, vero Nouitiorum tyrocinio annumeratus fuit: quod ille integrum

C            annum

34 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
annum ita sustinuit, vt cum candido habi-  
tu candidos quoque mores coniungeret, &  
sedulam in omnibus Ordinis functionibus  
suarumque partium officijs operam collo-  
caret, quantum ætas illa tenera patiebatur:  
quin & supra ætatem illam puerilem plura  
agere deprehendi potuit.

## C A P V T V I.

*Tria solemnia vota emittit.*

**G**RAVITER profectò & sanctè sanc-  
tum esse nemo bonus ambigit, ne quis  
ad solemnem trium votorum emissionem  
admittatur, qui integrum prius annum  
Nouitialis tyrocinijs non exegerit, in quo  
& Ordinem cum suis oneribus, & humeros  
suos cum viribus experiri, & diligenti cogi-  
tatu omnia præmeditari, ac instructus præ-  
scire valeat: vt ita quid voueat, quantisque  
se vinculis adstringat, probè prius explora-  
tum habeat, ne cæcus in pedicas seipsum  
conijciat, aut in foveam præcipitet; cum in  
hac re momentum omnium maximum sit  
positum, & cardo præsentis ac æternæ vitæ  
vertatur. Secundùm hoc igitur pius & Deo  
iam antè deuotus Iuuenis, omnia Ordinis  
& Monasterij onera, suarumque virium va-  
lorem non perfunctoriè sed studiosè peri-  
clitatus,

clitatus, in omnibus nil nisi suaue Domini sui iugum & onus leue reperit; quod alioqui multis spiritu mundano ac carnali actis importabile pondus videri assolet: quamobrem eius anni peracto decursu laudabiliter & fructuosè, precibus, vt ad solemnem trium votorum nuncupationem admitteretur, supplex instabat; & annuente suprà nominato Præsule Martino cum frequenti Conuentu, ipse Deo immortalis, à quo omne quod erat acceperat, holocaustum gratissimum, seipsum scilicet totum, in frequenti Angelorum hominumque corona ad augustum maioris templi Altare obtulit, æternumque Deo se auctoratum mancipauit; non sine singulari animi lætitia, inflammata cordis deuotione, gaudens & in mentis iubilo vbertim exultans, illum diem longè exoptatissimum parem sibi cum Angelicis spiritibus offerre conditionem: vt quemadmodum illæ beatę mentes ab omni labe secretæ Deo æternum & suauissimum concinunt melos in patria; ita ipse in Monasterio deuota oratione, dulcibus Hymnis & Psalmis, inflammata lectione, melliflua & ignita contemplatione eundem laudare, & quàm suavis sit degustare possit cum magno spiritus incendio & profectu.



## CAPVT VII.

*Conuersatio eius post Professionem.*

**P**OSTQVAM autem sempiternis trium  
 votorum vinculis animam suam in-  
 duerat, ac Christo I E S V vnicè desponfa-  
 uerat; memor in arrepto non solùm voto  
 sed etiam bono proposito persistendum; &  
 ita vouendum, vt quod semel voueris red-  
 dere non tardes, alioqui si per voti trans-  
 gressionem primam fidem Christo ad aram  
 maximam datam, faciat irritam, damna-  
 tionem se certam habiturum, æternasque  
 inferorum pœnas incurfurum; ita mores  
 suos in melius conuertere, vitamque virtu-  
 tum decore efformare studuit, vt benè satis  
 & laudabiliter vixerit semper, nisi quòd te-  
 por ac remissio quædam & vana sæculi  
 complacentia in eius corde refederant. Ac-  
 cedebat iuuenilis quædam libertas, quæ pro  
 more aliorum dissolutionem fecerat; ea ta-  
 men ex mera & profunda animi simplici-  
 tate, qua planè quæ mala essent non intelli-  
 gebat, oriebatur. His ergo impediabatur  
 quò minus ad debitam & iustam sanctæ  
 vitæ mensuram conscenderet; sed id haud  
 dubiè non sine alto Dei consilio, qui voluit  
 ac permisit eum hisce leuioribus adhuc næ-  
 uis

ORDINIS PRAEMONST. 37  
uis detinere, vt postmodum per seriam vitæ  
mutationem ac spiritus restorationem  
gloriosiùs eum ad supremos sanctitatis gra-  
dus eueheret: quod mox descripturi sumus.

CAPVT VIII.

*Mira eius in omnibus Patientia.*

**I**LLO iam tempore fortis Christi athle-  
ta, verum magnanimorum Christi mili-  
tum, & aduersus quoscumque hostiles in-  
cursus inexpugnabile scutum arripuit, mi-  
ram & à tali ætate vix expectatam prorsus  
que pluribus tum stupendam visam patien-  
tiam, quàm à teneris statim vnguiculis ita  
sibi iunctam familiaremque habuit, vt me-  
ritò eam cum matris lacte suxisse videri  
possit. Crebræ ei occurrebant iniuriarum  
etiam grauiorum exercitationes, multa in-  
gruebant ad tolerandum etiam maturiori-  
bus & sapientioribus difficilia: quæ omnia  
imperterritus Iuuenis adeò forti, constanti,  
mansueto animo excepit & pertulit, vt vel-  
ut agnus coram se tondente obmutescens,  
summum humilitatis & patientiæ argu-  
mentum vbique post se reliquerit, & cer-  
tam spem ac fiduciam futuræ quandoque  
sanctitatis præbuerit.

VITÆ  
WILHELMI  
ROTHENSIS  
LIBER SECVNDVS.

## CAPVT I.

*Mutatur VVILHELMVS in melius.*



o tempore, post absolutum Philosophiæ stadium, & delibatum Theologiæ florilegium, auocatus è celeberrimo illo Dilingano Musarum Emporio in Monasterium appulit F. Ioannes Feeg, suis factis & magno Norbertinæ disciplinæ zelo ac studio postea clarus, ipsos viginti quatuor annos cum summa laude ac strenuitate Prioris officio functus; is Dilingâ discedens, à præclaro illo Religiosorum & Monasteriorum fautore ac promotore, viro cum primis pio ac docto P. Iulio Priscianensi, Collegij S. Hieronymi ibidem Rectore, inter reliqua quæ mutuò communicauerant, in mandatis accepit, vt quandoquidem sciret videretque quo

I quo loco adhuc res Cœnobij sui versarentur, quomodo Proprietatis monstrum innumera damna ac miseras clades daret, ageret ipse suas partes, nec quidquam ad eliminandum malum à se desiderari pateretur: & quia optimi arietes ad animi muros, quantumuis obfirmatos, subruendos forent ea quatuor quæ nouissimè homini accidunt, vt quæ terrendo concutere ac prosternere norint, ijs balistis egregiè uteretur, ac frequèter eas decussando, dura licet pectora diuerberaret, sic fore vt vel lapides ad pietatem emollescere faceret. Id pium consilium, Rothum appulsus, ac Scholæ Nouitiorum præfectus, sequi, instanter & grauitè de quatuor hominum nouissimis, præsertim verò de Mortis horrore, & terribili Iudicij rigore, pro cathedra detonare cœpit: qui aries cordi boni nostri VVILHELMIVIXDUM admotus, adeò illud percussit, vt pænè comminuerit, ac deficere omnino fecerit, nisi Pater misericordiarum (qui suos numquam deserit) certo auxilio clementer afflicto famulo adfuisset. Audito enim illo mortis & diuini Iudicij tonitru, in tantum, in intimos mentis recessus & abscondita ingressus, & calculis subductis rationes dimensus, animo angi, deiici, & exanimari cœpit, vt pænè seipsum desperarit;

40 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
post Matutinas Preces media nocte Do-  
mino decantatas, suo in cubiculo altum  
ingemiscens, & crebra ex vulnerato tristi-  
que pectore suspiria trahens obambulabat,  
suam infelicem miseriam ac miseram infe-  
licitatem multis apud se quiritatus. Quem  
Prior Cœnobij, cubicula perlustrans, de-  
prehensum, quî secum ageretur, quidve ita  
ingemisceret ac deploraret, sollicitè inter-  
rogat & inquirit; reque uti erat comperta  
(aperuit enim bonus VVILHELMVS, adeo  
grauiter & horrendè Magistrum suum de  
quatuor nouissimis detonare, vt, si ita se ha-  
beant, nulla sibi spes reliqua esse possit sa-  
lutis consequendæ) consolationis oleum  
affundens, bono animo eum esse iussit: vera  
quidem illa esse & vero veriora, sed non ita  
accipienda, vt inde gladium ad nos iugu-  
landos eruamus, sed aculeum ad veram  
pœnitentiam agendam & vitam seriò mu-  
tandam ac innouandam inde conficiamus;  
misericordiam Dei nulla finitate conclu-  
di, eamque omnia totius mundi flagitia  
longè exsuperare; nolle Deum mortem  
peccatoris, sed magis vt conuertatur & vi-  
uat, ita vt in quacumque hora ingemuerit,  
omnium eius iniquitatum non amplius re-  
cordetur: quare spe firma certa que in eum  
niteretur; & si quid hactenus neglectum,  
illud

illud pio dolore obliterare, ac sancta sollicitudine in posterum satageret refarcire ac supplere: ita famulum Dei erectum & consolatione recreatum dimisit. Inde Magistro boni iuuenis statum aperiens mandauit, vt post similia de quatuor nouissimis excussa fulmina, seorsim VVILHELMVM euocatum leni consolationum flatu demulceret, animumque ei addere laboraret: itaque in viam perfectionis directum, ad magnos in vita sancta profectus & altos Religiosæ vitæ gradus extolleret: quod pius Pater, vltro pro salute aliorum omnibus omnia fieri paratus, nunc obedientia accedente lubenter & cumulatè præstitit, cum mirabili Angelici Iuuenis profectu, ac largo virtutum augmento.

## C A P V T I I.

VVILHELMII *progressus in spiritu.*

**H**AC occasione VVILHELMVS diuinitus in alium mutatus virum, crebra peccatorum exomologesi conscientiam purgare, omnes negligentias sedulo obseruare & castigare, vitamque remissam ac mores minus probatos serido emendare instituit; idque tanta felicitate, vt mira illius mutatio ac progressus apertè pateret, pijs ac reli-

42 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
giosis viris eum diligentius obseruantibus,  
non sine magna admiratione & diuinæ  
prouidentia ac clementia assidua depreca-  
tione, quæ famulum suum in tam tenera  
ætate tantis gratiarum charismatibus tam-  
que piè præuenisset. Et sanè iam tum, cum  
nondum vigeret ea quæ nunc est Refor-  
matio, videbatur à sancto illo animarum  
doctore diuino Spiritu intus agi, compen-  
diosa quadam via & ratione instructus ad  
sanctitatem paulatim euehi, & non solum  
Angelis gratum, sed hominibus quoque,  
suis præsertim, spectaculum & perfectum  
vitæ religiosè traducendæ speculum fieri;  
vt manifestè manus Domini cum eo esse,  
nec non dextera Excelsi præuentus esse de-  
prehenderetur, qui tam arcto incedere tra-  
mite, & perosam multis mortificationis  
viam ingredi in iuuenili ætatis flore fortiter  
incepisset, & gloriosè cõsummare pergeret.

### C A P V T I I I.

*Mittitur Dilingam ad studia.*

**M**AGNA & atra ignorantia nubes vni-  
uersam Ecclesie sphæram obtexe-  
rat, graui vbique laborabatur inscitia, Sa-  
cerdotes ipsi rudes & legis diuinæ imperiti,  
prò dolor! reperiabantur; eaque lues com-  
munis

munis omnibus, ipsa etiam pietatis sacraria,  
& Christianæ disciplinæ receptacula, Mo-  
nasteria inquam & Cœnobia, peruaferat,  
adeoque densis inscitiae tenebris inuolue-  
rat, ut vix centesimum quemque vel pau-  
lum politioribus literis excultum inuenire  
licuerit: quæ res quantas clades quantasque  
strages non solum vniuersæ Reipublicæ  
Christianæ, sed singulis etiam Monasterio-  
rum habitationibus inflixerit, vix deplora-  
ri, nedum explicari satis vniquam potest.  
Errabant & aberrabant passim omnes, rue-  
bant in præcipitia: non ad legis præscriptum,  
sed libidinis impetum, vitam instituebant:  
voluebantur in foueas infernales, cæca  
mente & cæco ductu, nemine ferè per do-  
ctrinam agnoscente aut demonstrante iter  
ad cælestem patriam securum & expedi-  
tum. Ei malo ex diuinæ sapientiæ largitate  
remedium datum nobilissima & celeberrima  
illa Societas I E S V: quæ quot Collegijs  
constitutis in orbem diffusa fuit, tot veluti  
lucidissimis doctrinæ & sapientiæ lumini-  
bus mundum vniuersum illuminauit, te-  
nebrasque illas Cymmerias ei offusas lau-  
dabiliter dispulit. Ille igitur prædictus Præ-  
sul prouidè aduertens doctrinâ omnia re-  
stauranda esse, malum illud inscitie ut auer-  
teret à suo Cœnobio, iuuenes Religiosos  
præcla-

præcla-



44 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
præclarioris indolis & ingenij primus Di-  
linganam ad Academiam mittere magnæ  
curæ habuit, vt inde doctrina & pietate in-  
structi, velut ex equo Troiano ad subruen-  
dos antiquæ Babylonis & nouæ Ierusalem  
exstruēdos muros prodiret. Quod nequa-  
quam eum fefellit; quantum enim attulerit  
momenti, testatur hodie vicens ac florens  
ad antiquam Norbertinæ disciplinæ nor-  
mam sapienter inducta, feliciterque conti-  
nuata, fulta & aucta Reformatio. Cùm au-  
tem VVILHELMVS noster inter reliquos  
suos coęuos pietate & laboris improbi con-  
tentione cederet nulli, doctrinâ ob tardius  
ingenium fortasse paucis; & ea in ipso indo-  
les emicaret, quæ non nisi magna & præ-  
clara promitteret; vnâ cum alio Fratre ad  
Dilinganum literarum Emporium sub Pa-  
trum Societatis I E S V in Collegio S. Hie-  
ronymi fidem, tutelam, disciplinamque  
fuit emissus: quam gratiam, secundum  
Deum, sancta ei vita & sedulum in omni-  
bus tam literarijs quàm pietatis exercitijs  
studium promeruit.

C A-

## CAPVT IV.

*Profectus VVILHELMI in literis.*

**P**OSITVS igitur loco tam celebri sub tantis ductoribus & Magistris ad mensam doctrinae nummulariam, memor districti aduersus pigrum seruum iudicij, talentum sibi concreditum nequaquam in sudario desidia reponere, aut in terra per rerum fluxarum scilicet curam & venationem defodere; sed ad magnum & religioso homine dignum lucrum conuertere magno studio & contentione laborauit. Et quia, vt antè iam insinuatum est, ingenio erat tardiori & minùs capaci, duas sibi vias tota mente persequendas statuit, quibus naturæ defectum adiuuaret & suppleret: quarum prima magnum laborem & indefessum conatum in literis positum complectebatur: quia verò nec illa semper optatum progressum facere poterat, ad fortius certiusque perfugium animum applicuit, assiduas scilicet & feruentes preces; quibus sanè tantum affecutus fuit, quantum nec reliqui omnes non solùm diurno labore, sed nocturnis etiam & antelucanis vigilijs & summa virium contentione. Id ei testimonium perhibuit R. P. Ferdinandus Grendel  
Socie-

46 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
Societatis I E S V Presbyter, VVILHELM-  
M V M intimè pernoscens, eiusque Præcep-  
tor simul & Professor Humanitatis, suos  
discipulos palàm in scholis hisce affatus:  
Iste pius & bonus Frater (VVILHELMVM  
monstrabat) plus proficit suis deuotis ora-  
tionibus, quàm vos vestro diurno, noctur-  
no, improbo ac pænè infano labore. Sæ-  
pissimè visus fuit ad suum Museum, cùm  
studia non procederent, aut si alicubi hære-  
ret, nec in quod incumbere percipere  
posset, in genua prouolutus, totum tempus  
feruentissima precatatione consumere, præ-  
fertim Rosarij B. Virginis recitatione: qua  
ratione eum plus hausisse profectus, quàm  
assidua ingenij exercitatione & defatiga-  
tione, experimento cognitum fuit. Et hoc  
meritò sanè: sciebat enim, eum quem Deus  
instruit tantum omni genere doctrinæ ex-  
cellere, vt multis reliquos interuallis post se  
felinquat; quemadmodum vel ex sola An-  
gelici Doctoris Aquinatis vita compertum  
habebat.

## C A P V T V.

*Profectus VVILHELMI in pietate.*

**Q**VI verò per solida pietatis opera &  
exercitià, vt explicatum est, tantas  
lite-

literarum accessiones fecit, quid circa ipsam pietatis culturam ab ipso praestitum existimabimus? Certè nullum abire diem, nullam noctem, nullum temporis momentum patiebatur, quo non singulari aliquo incremento rem suam spiritualem adauxisset. Non mercatores tam solliciti in procurandis mercibus & lucris, non auari in corradenda per fas nefasque pecunia, non miles in exspectando stipendio; quàm ipse studiosus & sollicitus fuit in animo veris virtutibus excolendo, & per continuum profectum altiùs subleuando, arctiusque cum Deo vnico dilecto suo coniungendo. Nullam vmquam animo quietem permittebat, quin eam caelesti quadam exercitatione ac studiosa actione occuparet: vnica & praecipua eius cura erat, quidquid vel leuissimè Deum offenderet, quacumque demum ratione, illud si incurrisset multo dolore persequi, seseque seuerè obiurgare ac grauem de seipso vindictam sumere, néve vltra incurreret circumspecta mente prouidere, seque ipsum quàm cautissimè obseruare; & ita quidem, vt leuiiores defectus quos alij vix reputant, tamquam grauiores deplangeret, sicque declinaret, vt saepe non habuerit quod confessioni subijcere posset, vt suo loco dicetur: quod ingentis perfectionis

tionis

48 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
ctionis certum esse indicium, manifestum  
est, cum ex vehementi amoris flamma id  
proficiscatur, quæ leuia vt grauia grauissimo  
odio ac detestatione prosequitur; & si ea in-  
currere humanitùs contingat, maiore sæpè  
dolore pœnaque configatur & excrucie-  
tur, quàm multi si nefanda quæque scelera  
perpetrarint. Retulit nobis de eo Magister  
illius, in literis ad Superiores suos Rothum  
scriptis, VVILHELMVM isthæc habuisse:  
Non ignorare se, magnos in literis pro-  
gressus se facere non posse; verùm quod in  
doctrina desit, curaturum se impensè, vt  
inculpatis moribus & vita sancta suppleat.  
quod & abundè ac ultra spem ab eo præsti-  
tum fuisse, idem mihi sanctè asseruit. Ve-  
rùm rem omnem generatim hætenus ex-  
pressam, posterioribus aliquot capitibus  
enucleatiùs & singulatim proponere, &  
pergratum & pernecessarium futurum  
videtur.

## C A P V T V I.

### *Pia VVILHELMI exercitia.*

**C**LARVM est, inter prima illud curan-  
dum esse ei qui post seriam conuersio-  
nem in spiritus profectu non imminui, sed  
adiuari & confirmari cupit, vt certa quæ-  
dam

dam exercitia in certa tempora & loca, quantum fieri potest, distributa sibi præfigat, quibus animum alioqui infirmum confirmet, imbecillum consolidet, ad vana propensum, & ad vitiosa procliuem, salubri hac methodo ita paulatim ab ijs abducatur & abstrahatur, ut contra rerum caelestium maiorem indies & flagrantiore inducat amorem, mentem excitet, illuminet ac inflammet, sicque per frequentem subleuationem Dilecto suo intimè uniat & conformet, ut cum ipso intra cubile pectoris solacium solo dulcissimè conuersetur, & dicat: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* quo vno quantum spiritualis in vera sanctitate progressus promoueatur, dici satis non potest; solus expertus potest credere quid sit IESUS VM diligere, & hac ratione in sinu pectoris circumferre. Expertus hoc abundè fuit noster VVILHELMVS, qui quocumque incederet, quocumque loco esset, inter medios etiam homines, animum semper contemplatione defixum & absorptum gerebat, ac quasi in ecstasim raptus ingrediebatur. A prima etiam spiritus innouatione nihil magis curæ habuit, quàm certis quibusdam exercitijs circumscriptam vitæ rationem exigere; ideoque praxin illam vitæ spiritualis à quadam Virgine Deo dicata

D

vsur-

50 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
vsurpatam & conscriptam, quoad fieri po-  
tuit, sequendam sibi statuit, vnde & plura  
ex ea pro sua quotidiana exercitatione  
compendioso modo exscripsit & adhibuit:  
ijs tamen non contentus, Patris sui spiri-  
tualis (qui erat integræ vir vitæ, præclaræ  
doctrinæ, laudabilis & sanctæ conuersatio-  
nis, R. P. Julius Priscianēsis Societatis IESV,  
antiquum & diuturnum Dilinganæ Aca-  
demix ornamentum & fulcrum, à quo ob  
singularem animi innocentiam VVILHEL-  
MVS hic plurimùm adamabatur) ductu &  
iussu quæ necessaria sibi prætereà videban-  
tur fortiter arripuit, constanter & feruidè  
exercuit, & religiosè in ijs perseueravit; nul-  
lo tædio, nullis hostium quantumuis mole-  
stis vehementibusque machinationibus ab  
ijs se abstrahi vel dimoueri passus.

## C A P V T V I I .

*Examine particulari vetus fermentum  
expurgat.*

**M**ULTI multum sudant, laborant &  
certant in seipsis vincendis, in subiug-  
gandis animi motibus, in eradicandis vitijs,  
in plantandis virtutibus, sed parum profi-  
ciunt: tota nocte laborant, & nihil aut exi-  
guum quid capiunt; quia retia sua non re-  
cto,

cto, debito, cōstanti ordine & modo (quod est in nomine Christi) in piscium capturam relaxant: qui si certam in omnibus rationem & mensuram obseruarent, breuī magnas & præclaras in pietate accessiones sibi obtingere experirentur: qua methodo iusta plurimi sanè breuissimo quasi temporis interuallo ad maximam sanctitatem non sine graui aliorum admiratione euecti fuere. Quibus si Angelicū nostrum Iuuenē VVILHELMVM annuero, rectè me fecisse fatebuntur omnes iusti rerum æstimatores, præsertim illi qui in viuis adhuc superstites eius insignem in sanctitate profectum breui spatio profectum abundè cognouerunt, vel qui ex fide horum relata in hisce scriptis piè legent. Inter reliquas compendiaras vias miro artificio callebat examinis particularis praxin, quo næuos quoscumque animi etiam leuissimos, inprimis illos motus quibus magis infestari se senserat, & vnde reliqui affectus vel ortum ducerent, vel magnam saltem vim liberiùs debacchandi acriusque sæuendi acciperent, insigni studio, feruenti zelo, indefesso labore eradicare numquam cessauit: non quidem omnes vno prælio persecutus; sic enim vires in plura distrahens, vix quidquam se posse præstare egregij non ignorarat, sed vnuni



52 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
ex alio aggressus, & mortificationis gladio  
succidens, breuî eò deuenit, vt summâ  
menti malaciâ procreatâ tranquillum om-  
nia possiderent, neque vllus turbo vel pro-  
cella vsquam quietem interturbare aude-  
rent; vel si caput surrigere conarentur, quod  
humanum est, mox velut potione medi-  
ca consopita, vel veriùs iugulata, subside-  
rent, ipsùmque indemnem ac victorem  
relinquerent.

### C A P V T V I I I .

*Examine particulari nouum homi-  
nem exstruit.*

**E**ADEM compendiosa sagacitate in ve-  
nandis virtutibus & vero animæ deco-  
re utebatur; vt non minùs virtutes, præfer-  
tim quibus magis indigere sibi visus fuit,  
aut quas magis ad ornatû facere perspexit,  
vt & eas quæ animum plus inflammare,  
Deo que intimiùs coniungere solerent, hac  
ratione comparauerit, quàm mala extirpa-  
uerit. Sed vt rem meliùs quisque percipiat,  
lubet ab eo descriptum modum, & exem-  
plis ab eo vsurpatis illustratum, adnectere.  
Hoc examen propriè spectat & valet ad  
vnum certumque vitium breui tempore  
extirpandum, verbi gratiâ Cholere; & bo-  
num

num aliquod certum consequendum: id-  
 que hoc pacto, vt fiat minimum bis in die,  
 manè prandium circiter, & vèspèri ante-  
 quam eamus cubitum. Die Dominico ma-  
 nè consideres quoties eo die, v.g. cholerâ,  
 peccaris ad prandium vsque: & si contigit  
 vt v.g. quinquies, quinque puncta in priori  
 linea eius diei signes; si sæpius, plura puncta  
 iuxta numerum delicti adnotes. Vespèri  
 autem pari ratione teipsum erga hoc vi-  
 tium excutias, sed numerum puncto-  
 rum in posteriorem lineam eiusdem diei v.g. Do-  
 minicæ reiicias, quæ dubio procul pauciora  
 erunt quàm ante prandium: hocque eo-  
 dem modo in singulos dies vtare; neque  
 ambigas mox futurum, vt circa idem vi-  
 tium nihil omnino aut certè parum dein-  
 ceptenteris, si tamen debito modo & stu-  
 dio omnia peragantur, & cum proposito  
 emendationis firmo. Quod ad bonum ve-  
 rò certum aliquod consequendum, idem  
 ipse modus seruetur, verùm in altera parte  
 tabulæ; vt sicut antea in priori notabas  
 puncta peccati, sic iam sequenti huius vir-  
 tutis, v.g. laudandi Deum, actus, eorumque  
 multitudinem, vt dictum est, signes, &c.  
 Hoc exercitio fit vt peccatum semper de-  
 crescat, virtus quàm maximè augeatur.  
 Hæc ex pijs exercitiis propria manu ab eo

54 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
scriptis exscripti. Et sanè hac ratione mira-  
bilem virtutum profectū consecutus fuit,  
præsertim illius, quam pro exemplo anno-  
tauit, scilicet laudandi Deum : quam adeò  
apprehendit , vt quocumque loco foret,  
semper laus Domini in ore & corde eius  
versaretur; nec vlla ratione, neque ipsa no-  
cturna quiete, à Psalmis & hymnis corde &  
ore Dilecto suo concinendis cessabat.

### C A P V T I X.

*Studium orationis in VVILHELMO  
frequens ac deuotum.*

**N**OTVM exploratumq; habebat VVIL-  
HELMVS noster, CHRISTVM Domi-  
num, vt pium Magistrū, illud inter reliqua  
consilia seu iussa seriò suis Discipulis incul-  
casse, vt vigilarent & orarent, ne intrarent  
in tentationem: oportere enim semper ora-  
re, & numquam deficere, eò quòd callidi  
& validi hostes assiduè contra nos stent in  
procinctu, insidiantes quasi leo in spelunca  
sua, insidiantes calcaneo nostro, circum-  
euntes quasi leo rugiens, quærentes quem  
deuorèt: quibus resistere nos oportet fortes  
in fide, cōstantes in charitate; quæ virtutes  
ne deficient, oratione fulciri & frequenti  
& feruida volunt. quod Christus ipse indi-  
cavit,

cavit, Petro locutus: *Expetiuit vos sathanas ut cribaret, ego autem rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Vides orantem Christum ne fides deficiat, quæ persistere non potuisset, si Christus orationem ad Patrem non fudisset. Nouerat prætereà, ad currendam viam mandatorum Dei, & votorum Religiosorum angustam semitam, dilatato opus esse corde: illud autem nusquam facilius obtineri, quàm si per frequentis & feruidæ orationis calorem sinus eius aperiatur: ita enim in amorem resolutum, omnia, etiam difficillima, facilia iucundaque reputat; amanti enim nihil difficile, nihil iniucundum. Nouerat hæc diuino abundè instructus spiritu; quæ eum commouerant, præsertim propria etiam necessitate adactum, ac singulari erga diuina exercitia, inprimis orationem & contemplationem, desiderio & voluptate affectum, vt seipsum totum orationi addixerit, reliquorum omnium velut oblitus; illudque tempus vnum sibi & gratum & iucundum fuerit, quod in oratione dulciter peragere potuisset. Quamobrem persæpè Dilingæ ad campos animi relaxandi gratiâ cum alijs egressus, integras horas ibi flexis genibus humi ponè arbores summa cum deuotione precibus ad Deum fundendis

56 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
consumpsit. Ibidem moré habuit ad Cru-  
cem quamdam peruetustam in Religioso-  
rum domo (quam ego ipse, post annos ali-  
quot eò missus, eam in rem mihi common-  
stratam, videre & coram ea precari non se-  
mel merui) tempore à literarijs negotijs  
vacuo, præsertim verò sub noctem post  
examen conscientiaè peractum, diutissime  
frequentissimeque orare ac contemplari.  
Eratque occasio peropportuna: Crux enim  
illa inter duas cistas loco abiecto pendens,  
commodum ei locum & perfugium præ-  
bebat, vt cistarum beneficio ab alijs videri  
aut notari, quod summè vitabat, vix posset.  
Tam verò ardens tamque inflammatus in  
suis erat orationibus & contemplationibus,  
vt absorpta mente quæ circa se agerentur  
non aduerteret, & nulla re à deuotionis  
feruore impediretur, aut ab amoris flam-  
ma vel paullùm abstraheretur. Accidit  
quandoque Rothi in Cœnobio post eius  
Dilingâ discessum (quemadmodum Ordi-  
ni nostro sollemne est quotidie sacrum  
Missæ Officium Deiparæ Virgini Dominæ  
suæ, idque Nouitiorum, & eorum qui nec-  
dum ad Sacerdotij gradum promoti sunt,  
operâ decantare) vt in illo Sacro (cui  
singulari cum deuotione & flamma ob  
Dominam & matrem suam semper aderat)  
inter

ORDINIS PRAEMONST. 57  
inter ardentissimas orationes dulcissimas-  
que in ecstasi perlongam abreptus, celesti-  
bus mysterijs mirificè pasceretur; quod Pa-  
tris eius spiritualis relatione firmatum sa-  
tis indicat, quanta deuotionis flamma cor  
eius flagrare oportuerit, cum tanto dono  
diuinitus fuerit affectus.

C A P V T X.

*Pœnitentiam & Eucharistiã deuotè  
frequentat.*

POSTQVAM ad indefessum virtutum  
studium, ac feruentem animi cultum,  
& indefinentem circa orationem & con-  
templationem occupationem, seridè semel  
curam cogitatumque applicuit; nihil inde  
prius habuit, quàm maculas animi etiam  
leuissimas, si quas contraxisset, crebra con-  
fessione expiare, & celesti illo Angelicoque  
pane, ac vino faciente germinare virgines,  
corroborante cor hominis, SS. scilicet Cor-  
pore & Sanguine Domini IESV CHRISTI  
vnici Dilecti sui, cuius amore laguebat, de-  
siderio pænè deperibat anima eius innocen-  
tissima, se octauo quoque die minimum re-  
ficere ac pascere: neque id communi more  
aut perfunctoriè, sed omni studio, diligen-  
tia & feruore, prout dignitas tantorum Sa-

D 5 cra-

58 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
cramentorū exigebat : in quorum altero à  
duris peccatorum , licet leuiorum tantum,  
vinculis se expediri , in libertatem filiorum  
Dei euocari, maiusque robur animo suo ad  
pugnam spiritus continuandam addi ; alte-  
ro verò mentem viuidam reddi, inflamma-  
ri, corroborari, dulcedine liquefieri, intime-  
que Dilecto vniri non ignorauit, neque ex-  
pertus ignorare potuit. Præter meditatio-  
nes quas ad hoc adhibuit, aliasque insignes  
animi discussiones & præparationes, deuo-  
tissimas insuper & affectibus plenas oratio-  
nes manu propria ab eo in hunc vsum sibi  
descriptas reperi ; quæ non solum orandi,  
sed etiam dulcissimè contemplandi, & igni-  
tis suspirijs cælum pulsandi , Dilectumque  
alloquendi materiam vberem submini-  
strantes, ipsæ in se spiritum quemdã ac cor-  
dis liquefactionem cõtinere videri possint.

## C A P V T X I.

*VILHELMI serena & pura conscientia.*

**I**LLVD quod mortalibus omnem ex cor-  
de animoque aufert lætitiã, veram in-  
tellige & æternæ præambulã, est negle-  
ctus conscientiæ: quam qui siluescere, & li-  
cet leuiorum tantum delictorum sentibus  
ac tribulis oppleri permittunt , perpetuo  
quasi

quasi æstu remorsus concussi & excruciatu, verè in Domino lætari aut numquam aut rarò possunt: qui si diligentem falcem & seueram seriamque ad ea lolia succidenda & spinas euellendas apponerent, explicatu difficile sit, quanto gaudio quantaque lætitia & securitate fruerentur, vt verissimum clamarent illud: *Conscientia bona iuge conuiuium*. Cùm igitur noster hic VVILHELMVS, quasi leo confidens in summa animi securitate tranquillum possidere, iugique pacis & consolationis conuiuium recreatus, adipe dulcedinis ac pinguedine deuotionis mirè repletus & inebriatus visus fuerit, qualem obsecro conscientiam ei fuisse dicemus? Sæpissimè profectò à Patre spirituali, cùm confessionem institueret, sine absolute dimissum audiui eum his verbis: *Vade, fili mi, in pace; nihil habes*. Tantam scilicet conscientia suæ puritatem procurabat, vt de vna confessione ad aliam ferme absque omni etiam leuissima quasi culpa permaneret in simplicitate cordis (quæ mira in illo erat) iugi animæ in cælum eleuatione coram Deo sincerè ambulans. Sed illud certissimam conscientia eius puritatem certò testatam facit, quòd Dilingæ inter ipsum & prædictum Patrem illius spiritualem euenit. Venerat quadam die  
ad



60 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
ad portam Collegij Patrum Soc. IESV, pe-  
tens aditum ad R. P. Iulium suum Confes-  
sarium, vt confessionem ei facere posset;  
sibi enim in animo constitutum esse pro  
ratione sacræ diei ad sacram Synaxin acce-  
dere. Nuntiatur id Patri: qui VVILHELMO  
non admissio renuntiari iubet, secedat in  
pace, ac securo mente communicet: quod  
& ille simplex Obedientiæ filius absque  
tergiuersatione fecit. Hoc autem quantam  
& à quanto tempore intimè perspectam  
conscientiæ puritatem animeque innocen-  
tiam demonstrat, quiuis vel parum pru-  
dens facile ipse æstimare poterit: rarū sanè  
hoc est, & in tali ætate rarissimè auditum.  
Similia omnino testimonia in eandem rem  
dixit R. D. Georgius Kurtz ei in Monaste-  
rio à Confessionibus: asseruerat quando-  
que, nolle se amplius exomologeses illius  
excipere, quòd & indignus foret tanto  
tamque immaculato homini Pater spiri-  
tualis esse; & ipse VVILHELMVS non affer-  
ret vnde absoluendi materies suppeteret.

## C A P V T X I I.

### *Conuersatio eius ad alios.*

**E**A est natura & conditio vitæ inculpatæ  
sanctæque transactæ, vt non solùm intra  
pro-

propriij pectoris angustos terminos occulta latere, sed in apertum progressa manifestis indicijs palàm se ostendere velit & debeat: vt ita cum videntur opera Iustorum probata, glorificetur Pater ille pietatis qui in cælis est; & hac prætereà ratione vnusquisque proximo suo charitatis ac misericordiæ opera, sanctæque conuersationis dulcedinem impendere possit: sine quibus languet quasi arefacta pietas, iacet quasi emortua sanctitas, cum nequaquam fieri possit, vt sanctè viuas, conuersationem interim ad alios habeas prauis quibusdam motibus, aut alijs quibuscumque vel contra decus vel contra charitatem næuis vitiata. Huius absolutum exemplum in VVILHELMO nostro aduertere videreque licuit, qui tali in omnibus rebus vsus est temperamento, vt erga alios, maximè Fratres suos (nam cum mundanis rarus esse studuit, & iuxta antiquorū Patrum consilia, imò præcepta, aut numquam, aut si necessitas exigeret, paucis & breuibus, cum ijs agere id admodum religiosè voluit) conuersationem miro dulcedinis & suauitatis sale condiret, singulari animi demissione, modestia & aliorum obseruantia gratam iucundamque redderet. Et quamuis sanctitatis suæ altitudinem excellentiamque multum occulere  
alla-

62 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
allaboraret, non tamen effugere potuit, quò  
minus ea' saltem aliquibus patesceret. Et  
certè tanta erat fragrantia morum, vt vel  
paullùm purgatæ mentes non possent eam  
non aduertere, ac in sancto suo famulo  
Dominum Deum collaudare, & eius mira  
dona in conuersatione VVILHELMI emi-  
cantia admirari. In sermone erat suprà  
quàm credi posset comis & demissus, non  
loquens nisi de rebus cælestibus, aut quæ  
profectum animæ vel inflammationem  
pectoris inducerent: quibus colloquijs vix  
credi potest, quàm auidè inhiauerit. In con-  
uersatione porrò illius circa oculos, circa  
membra, circa totum corpus animumque  
nihil videre erat nisi Angelicam summe-  
que admirandam modestiam, & virginis  
cuiusdam verecundissimæ pulcherrimam  
ideam. Omnis denique eius conuersatio  
erat dulcis, affabilis, grata, instruens, in-  
flammans, & omnibus omnia facta, vt per  
eam gloriosè & se & omnes Fratres lucrifaceret.

### C A P V T X I I I .

*Fides VVILHELMI & Charitas in Deum.*

**F**IDEM hîc non intelligo eam quæ fun-  
damentum totius Christiani ædificij  
pri-

primas inter Virtutes Theologicas obtinet, qua tamen VVILHELMVS hereditario quasi iure à parentibus accepta plurimum excelluit; sed eam quam ex hac natam fiduciam & confidentiam quamdam singularem appellamus. Ea verò sic cordi huic tenero infixæ & insculpta erat, vt inter medias aduersitatum procellas, quæ plurimæ & grauissimæ nauim eius quatiebant, ac inter sæuos & verè decumanos incurfionum hostilium cursus, velut leo confidens nihil turbatus, & sicut mons Sion in Domino immotus persisteret, mira animi hilaritudine semper retenta. Qua fiducia armatus, facilè non solùm mundi fastum, pompam ac potentiam, carnis æstum, illecebras & insolentiam, verùm etiam principum huius mundi & infernalium vrforum occultas insidias, apertum impetum, terribiles irruptiones, mascula mente sustinuit, callidè elusit, animosè contempsit, & gloriosè demum triumphauit. Nouimus eum hoc genere in rebus dubijs vel paullò grauioribus plurimùm valuisse, ita vt si quæ obtigissent, mox eas cum plena & indubitata fiducia Domino suo per ardentissimas preces commendaret, & certum auxilium non tam nouum exoraret, quàm paratum iam monendo quasi acciperet. Sic quodam  
 tem-

64 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
tempore Religiosi duo, ob graue quoddam  
Monasterij sui incolumitatem & Regularis  
disciplinæ restorationem seu conseruatio-  
nem attingens negotium, Rothum ad Ad-  
modum R. eius loci Abbatem Martinum  
Erman, qui tum Sueuicæ Prouinciæ visi-  
tandæ præfectus munus illud strenuè obi-  
bat, appulsi, cum VVILHELMVM vt Do-  
mini famulum inuisendum accessissent, il-  
lud ei proposuerunt: qui mox, ipsis adstanti-  
bus, eodem quo erant loco in genua prouo-  
lutus, gratias immensas Domino Deo egit,  
quòd eò rem adduxisset; inde ardentè eū-  
dem precatus, ac surgens, ipsis bono animo  
vt essent iussit, remque institutam effectam  
dare pergerent; cedere eam & cessuram ad  
singularem Dei honorem, ac animarum  
salutem. Remque exitus probauit: nam ne-  
gotium feliciter euenit, eoque Monaste-  
rium illud magno imminente malo libera-  
tum, & disciplina Religiosa multum pro-  
mota fuit. De flagrante verò Charitate in  
Deum quid referam? Sauciatus erat telo  
amoris, & dederat Dominus in cor eius  
sagittas acutas, & cum S. P. N. Augustino  
eliquabatur cor eius in hymnis & canticis  
suauè sonantis Ecclesiæ, & multò magis  
Dei intus loquentis vocibus vehementer  
affectus, ideoque in amore nunquam non  
pro-

profecit, maiusque incendium in pectore excitari sensit. Nihil eius respiciebant oculi corporis iuxta & animi, quàm vnicum Dilectum suum, in quem assiduò obtutum suauiter defigere dulce expertus fuit, & coram eius diuina facie ac dulcissima praesentia amoris iubilum decantare iucundum. Nihil in ore audiebatur, nihil in corde dominabatur, quod nõ ex Dilecti amore scaturiginem traheret, aut ardentissimam diuinæ Charitatis flammam redoleret; vbi- que actus laudandi Deum & amore cor inflammandi adeò exercebat, vt continuam ex eo animi eleuationem affecutus, vbi- que Dominum suum praesentem secum ferret, ac totus contemplatione absorptus incederet, mirabiliterque in Charitate proficeret.

## CAPVT XIV.

*Humilitas VVILHELMI & Paupertas.*

**T**ANTAS tamque altas in VVILHELMI magnanimo pectore isthæc solis Christi seruis cognita virtus radices egerat, vt nihil in eo vel minimum facile notare posses, ex quo non insignis humilitatis splendor emicaret. Passim apud plerosque suorum stultus audiebat & habebatur (quem- admodum mundo solemne est sapientiam

E                      Dei

66 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
Dei iudicare stultitiam) vt vilis & abiectus  
cōtemnebatur, foedè iniurijs laceffitus cre-  
berrimis: id quod ipse non solùm iustè sibi  
accidere reputabat, partim omni etiam  
maiori ignominia dignum se iudicans, par-  
tim pro Dilecti sui amore, & vel leuiter  
neglecti Numinis pœna, longè grauissima  
ferre vltro paratus; sed etiam cōtemptu illo  
incurfuque quotidiano tamquam spolijs  
opimis lætatus, hilarem & inuictam ad-  
uersus omnia mentem retinebat. Contem-  
ptores prætereà suos miro amore & bene-  
uolentia profecutus, nullum eis, quacum-  
que ratione posset, benefaciendi studium  
laboremque præterlabi patiebatur. Sermo  
eius erat submissus & placidus, de alijs ma-  
gnificè, de seipso abiectè loquens: incessus  
religiosus, deuotus & simplex: omnium  
membrorum, internorū etiam, moderatio  
singularem animi demissionem redolebat:  
& vt verbo dicam, omnis eius actio erat in-  
signis & profundæ humilitatis instructio.  
Illud præ ceteris excelsam planè humilita-  
tem indicat, quòd etiam à suis intimis in-  
terrogatus & requisitus super donis talen-  
tisque, maximè quæ miraculum saperent,  
à Domino sibi collatis, aliàs iam quasi euul-  
gatis, adeò nihil fateri volebat, vt etiam sua  
suprà quàm æstimari posset attenuando ac  
depri-

deprimendo, planè aliter de se absente, aliter præfente, sentire & opinari homines faceret. Ex hac Modestiae virtute partim emergentem Paupertatem planè Apostolicam ac Norbertinam, inter ipsas graues Babylonicæ proprietatis confusiones, aded sanctè coluit, ac si illam ex prima Ordinis institutione rigida velut ex naufragio seruata soli sibi retinuisset. Vestitum amabat vilem ac pauperem; sic vt de eo asserentem audiuerim eius Magistrum, si sacco rusticè confuto includi potiùs quàm vestiri eum contigisset, & rei vilitatem ipsum nequam animaduersurum, & prætereà magnū ex eo gaudium habiturū fuisse. Quod probauit etiā ijs omnibus acceptandis quæ ei porrecta fuere: qualiacumq; enim essent, vel fordida, vel lacera, vel vilia prorsusque abiecta, grata & hilari mète omnia amplectebatur, ijs ipsis adhuc indignū se reputans.

## CAPVT XV.

*Angelica VVILHELMI Castitas.*

**P**LVRIMA profectò argumēta in VVILHELMI vita deprehendere possumus, è quibus Angelicam eius puritatem concludere liceat. Quid enim quæso illud, quòd puer adhuc in sæculo praua aliorum con-



68 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
fortia non secus ac colubri morsum decli-  
navit? quod nullum tempus à primis quasi  
incunabulis otiosum abire passus est? quod  
continuis exercitationibus spiritum refo-  
cillare atque corroborare studuit, ut ita ad-  
uersus carnem, quæ imbecilla est, præuale-  
ret, ei que integritatem sartam tectam con-  
seruare posset? Sed quis æstimet & æqua  
lance ponderet, quantam illud corporis pu-  
ritatem testetur, quod suavi Angelorum  
confortio frequenter fructus, quod Ange-  
lorum Reginam Dominam suam clemen-  
tissimam apparentem, seque colloquio so-  
latioque dignantem & dulciter afficientem  
experiri meruerit, alijsque privilegijs præ-  
claris habitus dignus sit, quæ tantum ab ijs  
qui à corporis integritate deuiant, sunt re-  
mota, quantum est inter cælum terramque  
interuallum. At si reliqua omnia desint,  
maximam puritatis cautelam, curam per-  
fectionemque declarant abundè stupenda  
illa mortificationum genera, quibus corpus  
in tantum afflixit, ut mirum sit quæ in tantis  
austeritatibus vita eius prorogari potuerit.  
Etenim cilicina veste ita crebrò vehemen-  
terque usus, ut corpus totum & vndique at-  
tritum videretur, quin paruo tempore fre-  
quenti & austeritate vrsurpatione cilicium vim  
omnem amiserit: & sanè vix Patrum spiri-  
tualium

tualium iussu ab eo portando (ne se omnino conficeret) abstrahi & absterreri potuit. Flagellis quantum in se sæuierit, quàm dirè corpus diuerberauerit, quamque seueras de seipso pœnas sumpserit, non est quòd multum explicem : etenim & huic generi pœnæ deditissimus fuit. Dilingæ porrò ad omnimodam corporis subiectionē parandam vix vmquam lecto vsu, sed maximam partem vestitum, culcitra straminea & duro assere eum cubare solitum, ab illius coæuo certa fide accepimus. Nec minor fuit in alijs austeritatibus vitæ, ita vt hominibus, etiam vulgaribus & rusticanis, magnam de se opinionem & admirationem sanctæ vitæ fecerit : quod plures mihi aliisque postmodum fuere facti, cum in sermonē de VVILHELMO incidissemus ; qui ducti argumentis mortificationum aliarumque præclare non minùs quàm seuerè in seipsum gestarum rerum, qualis ipsius vita foret & sanctitas, coniecturam rectè faciebant.

## CAPVT XVI.

*Parsimonia VVILHELMI & Temperantia.*

CAPVT hoc sortitur campum materiæ vbertate fertilissimum, qui complectitur integritatis certissima propugnacula ac

E 3 fortia,

70 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
fortia, in quibus securè lateat vallata, qui-  
que continet veræ pietatis indubitatum  
asylum, & est parsimonia ac frugalitas, seu  
temperantia in victu: quæ sola virtus, vi-  
tiorum fomite aut profligato aut eneruato,  
homini securam facit innocentiam, prom-  
ptamque ad omnia spiritualia mentem.  
Cuius studiosissimus erat noster VVIL-  
HELMVS: præter regularia enim & crebra  
ieiunia, quibus alacer hilarisque se afflixit,  
in quotidiano victu tantam frugalitatem  
adhibuit, tantoque temperantiæ sale singu-  
las mensas condiuit, vt vix vitæ sustentan-  
dæ, quæ sumperat, sufficere posse iudicas-  
ses. Vino semper modico & parcè utebatur,  
sciens nihil ita certam teneris Religiosorum  
animis & corporibus perniciem interitum-  
que adferre, quàm vinolentiam & Bacchi  
cultum immodicum; comestationes &  
mensas compotatorum super omnia pero-  
sus, memor illius Sapientiæ, quod sibi pro  
monumento perpetuè exscripserat: *Noli  
esse in conuiujs potatorum, nec in comestatio-  
nibus eorum, qui carnes ad vescendum confe-  
runt: quia vacantes potibus, & dantes symbo-  
la consumentur, & vestietur pannis dormita-  
tio.* adeò vt quo tempore alij compotatio-  
nibus recreatiuis, vt putabatur, studebant,  
ipse in cellam suam abditus orationi aut  
alijs

alijs pijs exercitationibus vacaret. Dilingâ discedens, alicubiq̄ue diuertens, inuitatus erat ad mensam opiparam & lautum epulum; ipse verò contrà obtestatus, vt liceret sibi cum Nouitijs in Refectorio relictis cœnam sumere, maluit ibi paucis & vilibus contentus viuere, quàm splendidè inter Maiores epulari: ibi verò ita parcè sese refecisse, ita hilarem intereà assidentibus se ostendisse, ita modestum ac verecundum se exhibuisse, itaq̄ue assiduè de rebus cœlestibus collocutum fuisse, mihi qui ipse interfuit, retulit, vt præsentes plus ipsius exemplo, quàm vlllo alio vel exquisitissimo epulo, recreati gauderent.

## CAPVT XVII.

*Mansuetudo VVILHELMI & Patientia.*

**E**RAT bonus hic Iuuenis naturæ aliàs præferuidæ, quæ cholera dominio nimio superante magnos irarum fluctus & graues aduersorum affectuû procellas sub eius pectore quàm sæpissimè & validissimè excitauit: quam tamen naturæ ferociam adeò eneruauit & euicit, particulari examine in eam rem conscientiam seuerè vrgendo, vt ad omnem rerum aduersarum incursam primos animi motus adeò facilè

72 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
reprimeret, vt vix quidquam in eo turba-  
tum vel oculatiùs eum obseruando notare  
posses. Narrauit mihi Magister illius, in  
summis rerum aduersarũ conflictibus cùm  
furor naturæ grauem & assuetum subsul-  
tum tentaret, capite in læuam paulisper de-  
presso non aliud VVILHELMVM elocutũ,  
neque aliter fuisse motum, quàm quòd sibi  
diceret: *Quid tum?* Quo vno gloriosè sanè  
triumphauit, & deinceps vel inter grauissi-  
ma euenta immotus perstitit, sibiq̃ue in  
omnibus similis semper permansit. Vt verò  
ad lapidem illum Lydium, quo inconcussa  
Sanctorum fides & immota pietas probata  
toti mundo patefcit, patientis scilicet ani-  
mi, & omnia feliciter hilariterq̃ue sufferentis,  
inexpugnabile scutum accedam; illud  
priùs deplorandum occurrit, temporum  
nimirum iniuriã, ac hominum partim cras-  
sa inscitiã, partim obstinatã nequitiã, in  
eum miseriarum oceanum non solùm  
vanos sæculi filios, sed etiam Deo dicatos  
Religionum alumnos fuisse immersos, vt  
status vocationisq̃ue obliti, non quò diui-  
nus ille Spiritus, sed quò fallax mundus,  
effrenis caro, seductor satanas inuitabat,  
furibundo impetu præcipites agerentur; &  
eos qui viam Dei ingressi, ipsorum oculos  
vitæ innocentia perstringentes, turpia eo-  
rum

rum facta præclara viuendi ratione condemnatum irent, acerrimo odio prosequi, iniuriarum procellis obruere, ac omni qua possent via, facta eorum bona vel tollere vel obliterare cæca & audaci mente consilioque non vererentur. Quod malum occulto Dei iudicio permiffum, vt alia pleraque, ita etiam Rothense nostrum Monasterium peruaserat; & in VVILHELMI tempora vsque nonnullos reperit, quos transuersim abreptos ad similia paratos promptosque haberet. Ij cum VVILHELMVM ætate iuuenem, verecundiâ Angelum, vitâ innocentissimum contuerentur, tantisque interuallis sese ab eo superari, vitæ insuper suæ effrenem licentiam eius inculpatâ argui & confundi vsque ad oculorum dolorem viderent; lioris ac inuidiæ spiritu excæcati, vitam eius existimantes insaniam, omnia aduersitatum iacula in illum torquere, & imbrem iniuriarû in eum effundere, aliàs obscuriùs iniquos, aliàs non dissimulanter iratos infensosque, imò manifestè iniquos & acerrimos persecutores se erga illum exhibere numquã cessarunt. Hinc agnominibus supra modum iniuriosis ei illudere, eumque non nisi stulti loco habere, ac palàm ita eum iactare solemne & perpetuum eis erat, similiter tanta in

74 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
eum designare, quanta & qualia præfertim  
à Fratribus illata si percipiat animus, exhor-  
rescat. Audiuius ex his nonnullos post il-  
lius obitum illud vnicum vnicè & acerbè  
deplorantes, adeò sæuè in VVILHELMVM  
grassatos fuisse, illud vnicum expetentes, &  
toto pectore optantes, nimirum malè in  
VVILHELMVM designatorum veniam.  
Quorum vnus prætereà asseruit, abundè si-  
bi præstitum iri, si eorum à Deo immortali  
veniam cōsequatur quæ peruersè in VVIL-  
HELMVM statuerit: tantum scilicet horum  
grauitas eum vrebat, vt reliquorum om-  
nium videretur oblitus. Hæc tamen omnia  
adeò forti, constanti, nec non hilari animo  
pertulit; vt ea quasi non aduerteret, num-  
quam etiam vel paulò tristiores inde aut  
perturbatiorem affectum subiret, quin con-  
trà insignia charitatis officia eis, quacum-  
que ratione posset, exhibere numquam præ-  
termitteret, Patrem suum cælestem instan-  
tissimis precibus pro ipsis exorando, atque  
propitium eis reddere summa deuotionis  
contentione laborando: quemadmodum  
mihi testati sunt, ac ob rei indignitatem  
non sine gemitu & suspirijs retulerunt eius  
coæui; inprimis Magister ipsius R. P. Ioan-  
nes Feeg, qui, sicut & Admodum R. Præsul  
Martinus, cuius supra meminimus, &  
R. P.

ORDINIS PRAEMONST. 75  
R.P. Georgius Kurtz à sacris VVILHEL-  
MO Confessionibus, qui hunc Domini fa-  
mulum vnicè diligebant, eum vt Sanctum  
cæli amplexati: quos etiam tanta tamque  
stupenda sua patientia in summam rapuit  
admirationem, eisque magnos ad omnia  
religiosæ vitæ studia, inprimis ad similia pa-  
tientia decora, stimulos admouit, ac in qui-  
buslibet euentis miro solatio fuit.

### CAPVT XVIII.

#### VVILHELMI *alta Taciturnitas.*

**E**RAT magnus hic Dei famulus à pri-  
mis statim pueritiæ annis suprâ quàm  
credi possit silentij & solitudinis amans  
zelansque: puer enim adhuc in sæculo ab-  
ditos recessus & angulos amabat, vt ibi lo-  
quentem sibi ad cor Dominum audiens,  
spiritu eius mellifluo recrearetur, ac cæle-  
stibus illis lætitijs solitudini promissis in-  
undaretur. Quo voto nequaquam sanè  
frustratus, cumulatè quæsitâ inuenit, vnde  
deinceps maior semper maiorque & amor  
& cura solitariae habitationis & cellulæ  
monasticæ mirificum studium in eius pe-  
ctore creuisse eluxit; ita vt in Cœnobio,  
alijs ad ludos, alijs ad alia dilapsis, VVIL-  
HELMVS non alibi quærendus aut inue-  
niendus



76 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
niendus fuerit, quàm vel in cella libris, cre-  
briùs orationibus intentus, vel in templi  
aliquo angulo in genua prouolutus deuo-  
tissimè Rosarium percurrens, aut contem-  
plationi vacans. Quisquis ei obuiasset, ni-  
hil nisi spirituales comprecationes mutuas  
responsionesque audire potuit: tantus erat  
sancti silentij cultor. Mirati hanc in eo exi-  
miam silendi virtutem homines plebeij &  
rustici, eandem mihi postea non semel  
deprædicarunt.

### C A P V T X I X.

*Amor & obseruantia aduersus Fratres  
& omnes.*

Q V A M V I S plurima eaque grauissima  
sustineret, attamen tantum abfuit, vt  
amor eius erga quemquam minueretur, vt  
etiam eo ipso velut oleo fatus in altum  
erumperet incendium; magisque ipse ad-  
uersus eosdem tum animi beneuolentia &  
propensione, tum charitatis officijs omni-  
que genere pietatis certare non desisteret,  
& ita non nisi cælestem ac C H R I S T O  
Domino consuetam talionem referre in-  
primis enisus fuit. Et sanè non tantum sibi  
æquos amicosque, sed & multò magis du-  
rissimos tantopere in C H R I S T O dilexit,  
Vt

vt amoris ingens flamma ex eius omni sermone & actione emicare liquidò cerneretur : adeò nihil vñquam remisit de amandi ac benefaciendi studio, ac si nihil vñquam sibi illatum fuisset ; quin læsionem omnem charitatis augmentum reputauit & constituit. Qua verò obseruantia in Fratres fuerit, illud indicat, quòd & singularem ijs honorem exhibere semper studuerit, eosdemque vt Patres suos plurimum reueritus fuerit : neque verò satis ei erant consueta reuerentiæ signa & exercitia, alia maiora & insignioris charitatis ac profundæ humilitatis cultum indicantia tamquam ex Tyronum numero minimus exhibuit. Infimos porrò non minùs quàm Superiores, imò quasi ipsum Deum suspiciebat ; ijsque vt se longè melioribus insignem honoris cultum assidue impendens, eorum iussis paratum dictoque audientem celerrimè se exhibere consueuerat : sic vt eo etiam tempore quo alij animum lusibus Dilingæ in campis recreabant, ipse à ludentibus Fratribus iussus, totum illud tempus oratione pro illis fundenda tereret, nec nisi ab ijs aut signo domum remeandi reuocatus desisteret ; tantæ erat obseruantia, tantæ simplicitatis. Quæ columbina gemma, præterquam quòd

quòd

78 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
quòd totam vitam eius exornauit, in eo  
maximè eluxit, quòd vnde boues pronas-  
cerentur velut infans ignorarit. Illud hoc  
loco annectam, quo immensum eius stu-  
dium pietatem in alios etiam transfunden-  
di pateat. Dilingæ in altum perfectionis  
naui iam subducta, & ad sanctitatis pro-  
fundum appulsa, Nouitiorum, & eorum  
qui necdum ad Sacerdotium promoti do-  
mi in Cœnobio scholas frequentabant, &  
amore & cura singulari flagrans, eos mul-  
tùm, præsertim vnicis literis, simplici stilo  
sed suauis grauique spiritu conscriptis, ad  
omne pietatis genus & Religiosæ vitæ seria  
exercitia est adhortatus; in primis verò, vt  
singulis octo diebus Pœnitentiæ & Eucha-  
ristiæ Sacramenta diligenter & deuotè fre-  
quentanda arriperent, suadere conatus fuit,  
quòd ipse plurimùm ea ratione se in profe-  
ctu adiutum expertus esset.

## CAPVT XX.

VVILHELMI *cultus erga Patronos  
& Dominam nostram.*

**I**NSIGNI VVILHELMVS affectu & deuo-  
tione cæli ciues sibi iugiter colendos in-  
uocandosque statuit: quapropter omnem  
cælestem Curiam in septem Ordines di-  
gessit,

gessit, vt septem hebdomadis cuiusque diebus respondentes diligentiori honore & inuocatione prosequeretur. Illud verò multum mihi deuotum visum fuit, quod manu sua sibi ipse scripserat, quodque huc illius verbis inferere volui: *In actionibus diurnis dilectos Patronos & auxiliares hos mihi elegi. In omni & quacumque actione, qua in die peragenda mihi est, hi sequentes simul vnà coadiutores: S. MARIA Mater CHRISTI praecipua Patrona omnium, S. Io. Baptista, S. Antonius, S. Sebastianus, S. Maria Magdalena, S. Verena, S. Vilhelmus, S. Norbertus, S. Bartholomeus. Ad mensam: S. Ioannes Euangelista, qui in Cæna Domini supra pectus eius recubuit. Ad Missam; S. Andreas Apostolus. Ad Horas Canonicas; S. Augustinus Doct̃or Ecclesie. Ad somnum; Petrus, Iacobus, Ioannes Euangelista. Ad mentalem orationem; D. Bernardus Abbas. Ad orationem vocalem & priuatam; S. Iosephus sponsus B. Virginis Mariae. Ad pœnitentias; D. Benedictus, D. Bernardus. Ad tribulationem quamcumque; S. Ursula cum sodalibus. Ad studia; S. Paulus, S. Catharina. Ad Confessionem; SS. quindecim Auxiliares nostri. Ad Communionem; SS. Apostoli Domini. Ad examen Completory; S. Dominicus Confessor. Ad Conciones & Adhortationes; S. Franciscus.*

ciscus.

80 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
*ciscus*. Toto verò tempore vitæ suæ, à pri-  
mo inde pueritiæ flore, Dominæ nostræ  
Angelorum Reginae addictissimus fuit, ita  
vt singulari industria ac feruore eam cole-  
re, amare & inuocare numquam cessaret,  
fructumque huius studij sui vberimum re-  
ferret, vt ex Vitæ serie facilè patebit. Dies  
ipsi festos ac sacros insolita semper animi  
præparatione, suauique non minùs quàm  
valida pectoris inflammatione Rosarijs re-  
citandis, contemplationibus alijsque pijs  
exercitijs instituendis, maximam partem  
consumpsit, & miram ex ijs lætitiã pro-  
fectumque numquam non haufit. Sacris  
item eius quotidianis magno animi gaudio  
adfuit; & verbo dicam, quidquid de ipsa  
orandum vel cantandum esset, infueta de-  
uotione ac hilaritate percurrere solituserat,  
mirificè vel ad solum MARIÆ dulcissi-  
mum nomen affectus, vt meritò ipsum al-  
terum quemdam HERMANNVM seu  
IOSEPHVM in nostro Ordine refloresce-  
re iudicares.

VITÆ

VITÆ  
WILHELMI  
ROTHENSIS  
LIBER TERTIVS.

## CAPVT I.

*Angelus VVILHELMO apparens mortem prænuntiat.*



POSTQVAM ergo suprà explicata ratione VVILHELMVS vix alterum annum Dilingæ in studijs commoratus ad summum quasi sanctitatis fastigium peruenisset, quadam vice coram Cruce (de qua suprà) diutissimè ac deuotissimè oranti Angelus cælesti gloria ac splendore præfulgidus apparuit, Domini-que famulum conseruum suum consolatus & affatus, inter reliqua corporis solutionem breuî ei instare edocuit. Quo ex tempore VVILHELMVS solito magis orationi alijsque deuotis exercitijs insistens, ad futuræ mortis agonem velut prouidus palæstrita iam tum se parare incipiebat; vt Sponso

F                      suo

82 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
suo tantis desiderijs amato & quæsito, lam-  
pade pariter ac oleo instructus, obuius pro-  
cedere quantocyùs feliciter posset. Inde et-  
iam sensim peiùs corpore habere, atque in  
lentam ægritudinem delabi cœpit. Quod  
cùm Rothum denuntiatum esset, Præsul  
impensè VVILHELMVM diligens, ma-  
gnamque in eo spem positam habens, à stu-  
dijs auocatum domum redire iussit; vt ibi  
ex morbo leuatus, feliciùs postmodum  
meliusque cœpta studia profèqui posset.  
Sed supremi in cælis terrisque Dictatoris  
nutu (qui famulo suo, ne temporis & ho-  
minum iniquitas ac malitia immutaret cor  
illius, tempus illud fatale & vltimum esse  
volebat) accidit, vt ægritudo semper in de-  
terius laberetur, maioraque in dies augmē-  
tā caperet; & quamuis Medicorum consi-  
lia auxiliaque nequaquam deessent, nihil  
tamen obtineri potuit: frustrā nimirum  
humana, ad cursum diuini consilij super sa-  
lute mortalium sistendum, adhibentur.

## C A P V T I I.

### *Exercitia tempore ægritudinis.*

QVAMVIS autem grauibus premere-  
tur doloribus, & lenta tabe corpus  
afflictum deperiret; nihil tamen ille de so-  
lito

lito vitæ feruore ac sedulo exercitiorum studio remisit. Ipso sanè fatalis morbi tempore, expansis in modum Crucis brachijs, diutissimè orans deprehensus fuit; & adeò quidem feruidè ac cum tanto deuotionis sensu, vt ad se ingressos ac propiùs astantes penitus non aduerteret, vti duobus præsertim ex alio Cœnobio Rothum appulsis Fratibus, & ad eum inuisendum hypocauftum in quo decumbebat ingressis, contigit: quod postmodum alijs crebriùs de ipso narrarunt, in magnæ eius deuotionis & feruoris argumentum, Rosarij sphærulas precatorias semper manibus circumferebat, & quocumque ingrederetur, vbicumque cõmoraretur, Virgini immaculatæ Dominæ suæ clementissimæ, cuius seruitio totum iam inde à puero se mancipauerat, rosas illas Angelicæ Salutationis, cum intermedijs Orationis Dominicæ violis, ex intimo corde & inflammato pectore assiduus offerebat.

## CAPVT III.

*Patientia eius in morbo sufferendo.*

**I**N omni VVILHELMI vita supra reliquas virtutes vniuersas constans & magnanimis Patientia facilè semper præeminere visa fuit: circa graues tamen morbi



84 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
afflictiones potissimum enituit : tantam  
enim in vltimum vsque mortis punctum  
tenuit , vt si quandoque ( quemadmodum  
Magistro eius accidit ) quis ad eum com-  
monendum accessisset , vt patienter se ha-  
beret, C H R I S T I Sanctorumque exem-  
pla proponens, ægrè quodammodò ferens  
responderet: Ah quid me ad cultum pa-  
tientiaæ cohortamini ! indignum profectò  
est , C H R I S T O sacratum, eiusque sacris  
legibus imbutum, ad hanc virtutem com-  
monitione indigere: nullus certè C H R I -  
S T I seruus ad hanc commonefaciendus;  
ipse per se vt id præstet , curare debet. Ita  
scilicet patiens VVILHELMVS hanc nobi-  
lem virtutem sibi propriam fecerat, tan-  
taque consuetudine deuinxerat , vt indi-  
gnum reputaret quemquam Christianum  
hominem ad eam commoneri debere.

#### C A P V T I V.

*Angeli cum eo Horas persolunt.*

**P**ER singularem & altissimam corporis  
animique integritatem , nec non reli-  
quas perraras ei ætati virtutes , in tantam  
cum Angelicis mentibus familiaritatem  
ac consuetudinem venerat , vt ægritudinis  
suae tempore, cum stas Ecclesie iuxta Or-  
dinis

dinis sui ritum Preces (quas Horas Canonicas appellamus) Domino suo solus psalleret, quod deuotissima semper feruentissimaque mente praestare solebat, Angeli ad eum caelo delapsi alterna<sup>o</sup> cum eo voce eas percurrerent, ac gratissimum chorum constituerent. quod mira ipse simplicitate Magistro suo fassus, dicebat, eos (Angelos intelligebat) ad se venire, Precesque Horarias secum recitare, ac subinde se, subinde verò ipsos citius tardiusque versus absolueret; vt ita alteri alteros, vsque dum & ipsi absoluerint, praestolari necesse habeant.

## C A P V T V.

*Beata Virgo apparet ei.*

**W**ILHELMVS itaque aegritudinis tempore impeditus, quò minus statis Chori psalmodiis, quibus cor eliquari senserat, interesset, ne omni spiritus dulcedine, fructuque (vt sibi videbatur) priuaretur destituereturque, saepius Sacellum dextro Chori lateri iunctum (nunc in campanile mutatum visitur) ingredi, ibique Fratres Psalmos percurrentes alacriter attendere, ipse etiam deuotis precibus aut pijs contemplationibus animum suum pascere, caelumque pulsare studuit. Quadam igitur vice sub

86 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
Completorij nocturno decursu illic sacra  
coram icone in genua prouoluto & arden-  
tissimè precanti sistit se Virgo beata Domi-  
na nostra clementissima, alloquitur, famu-  
lumque suum mirificè exhilarans, & suprà  
quã dici possit cælesti dulcedine inebrians,  
mirabile amoris incendium in eius pectore  
excitauit, & languore quodam sui longè  
quàm antè ardentiori æternitatisque vali-  
dè vulnerauit; sicque dulciter affectum ac  
consolatum dimittens, disparuit. Qua ex re  
animus VVILHELMI totus ab humanis  
abstractus, in Deū Deiparamq; vnicè sem-  
per defixus mansit. Cognouimus autem ist-  
hoc ex relatu R. P. Georgij Kurtz Cōfessarij.

## C A P V T V I.

*Prædicat obitum suum.*

**E**o die, qui VVILHELMO vltimus in  
hoc mundo fuerat, manè, antequam ad  
pensum sacrum antemeridianum absol-  
uendum accederent, Patres & Fratres ad  
eum tamquam moribundum frequentes  
coierant, coram eo (vti Ordini mos est)  
humi in genua prostrati oraturi: quos  
VVILHELMVS intuitus tantùm, securos  
abire iussit, priusque diuinum Officium  
Deo persoluere: non enim iam, sed tunc  
primùm

primùm se ex mortali hac vita in cælestem à Sponso suo euocandum ; quod & contigit. Ita famulus Domini obitum suum Fratribus antè prædixisse fuit repertus.

## CAPVT VII.

*Placidè in CHRISTO obit.*

CVM itaque obitus hora, quæ fuit circa decimam diei, iam adesse festinaret, subitò VVILHELMVS, oculis suauiter in dextram directis, in diuturnam rapitur ecstasim, in qua Deiparam, DD. Catharina & Barbara latera stipantibus, vidisse dicebatur, & satis etiam notari ac deprehendi potuit. Sed is totus dulcedine animi liquefactus, ad se reuersus vix dum fuerat, cum subitò candelæ pro more ad mortis horam accensæ in oculis coràm adstantium extinguuntur : post aliquantum verò temporis, VVILHELMO in mortis agonem ingresso, vtrò iterùm accensæ lucere cœperunt ; quod Angelicis factum manibus, sicut & prius diabolicâ inuidiâ, nequaquâ ambigimus. Hac ergo ratione pius & sanctus Frater inter spiritualis Patris sui Georgij Kurtz cõplexus viâ vniuersę carnis ingressus, placidè in CHRISTO obiit quinto Kal. Aprilis, anno à salute humano generi restituta 1588.

## CAPVT VIII.

*Corporis grata forma, & fragrantia  
post mortem.*

**D**EFUNCTI WILHELMI corpus, non vt aliorum assolent, fœdæ formæ horribilisve aspectus fuit: sed facies antea ob summam mortificationis vim ac grauitatem assiduè subpallida, hîc velut virginea, non ad horam vnam alteramve dumtaxat, sed in sepulchrû vsque, visum fuit pulchrè rubescere: os non diductum, sed elegantius viuo dispositum: oculi non horridi, sed viuidi, pellucidi & iucundi: tota corporis ac inprimis faciei compositio tam venusta, tamque decora ac grata, vt quotquot ad eum ingressi essent, viuere illum ac melius quàm vîquam affectum esse certò æstimerent, nisi defunctum alij assererent. Nullum porrò vel minimû fœtorem corpus tam diuturno & lento morbo malè conflictatum profundebat; sed miram fragrantiam, ac suprâ quàm dici possit suauem ex se efflabat odorem: quem multi cum magna animi admiratione ac dulcedine se percepisse testati sunt, vt mihi vnus ex Patribus retulit, mea adhuc ætate superstes.

CA.

## CAPVT IX.

VVILHELMI *sepultura.*

CORPVS defuncti ex laudabili recepto more feretro, quod nigro panno alba Cruce intersecto contectum fuit, impositum, & ex infirmorum domo, Cruce & post eam Patrum Fratrumque supplicatione praecedente, ac lugubre carmen concinente, in maius templum est delatum, ad pedes & caput cereis collocatis. Inde Horaria mortuorum Preces pro eo decantatae: postera verò die recitatis reliquis consuetis demortuorum Orationibus, & SS. Missae Sacrificio cantato, solemani nostri Ordinis ritu in ambitu principe loco inter reliquos tumulatum fuit. Ad eius sepulchrum parietibus à quibusdam VVILHELMI studiosis Fratribus non tam inscripta quam insculpta quaedam huc apponere volui: quorum est illud ex Sacris literis petatum, & verè in VVILHELMO completum: *Raptus est ne malitia immutaret intellectum, & fictio deciperet animam illius.* Illud itidem indidem desumptum: *Consummatus in breui expleuit tempora multa.* Vltimum hoc est:

VVILHELMVM quisquis non deslet morte peremptum,

*Neptuno hic genitus, durior est chalybe.*

## CAPVT X.

*Magnifica aliorum de VVILHELMO  
testimonia.*

PRÆCLARA sunt & magnifica eloquia quæ ab alijs ei attributa fuere; in primis à doctissimis Societatis IESV Patribus, & præcipuè Corycæo illo & principe fautore Monasteriorum ac omnium Religiosorum parente R. P. Iulio Priscianensi, Collegij S. Hieronymi in Dilingana Academia quondam Rectore dignissimo; cuius testimonium tantò lubentius amplector recipioque, quantò præclara doctrina & rara vitæ sanctitate fuit nobilior. Is præterquam quòd VVILHELMVM in viuis adhuc *hominem non hominẽ sed Angelum* appellare non dubitavit, cùm Rothum post eius obitum quadam vice deuenisset, vnicè dilecti filij sui & famuli Domini tumulum monstrari sibi petijt, ad quem à R. P. Ioanne Feeg adductus, animo oculisque in cælum sublatis, isthæc in verba prorupit: *Verè hic Frater benediçtam habuit animam.* Magnum etiam illud quod suprâ attigi, à R. Præceptore eiusdem Societatis Presbytero eidem datum elogium, quòd scilicet Bonus is Frater plus proficeret suis orationibus,

ORDINIS PRAEMONST. 91  
nibus, quàm reliqui discipuli vel diurnis ac  
nocturnis vigiliis, summæque contentio-  
nis studijs; quin ille idem doctrinæ iuxtà ac  
vitæ vir integerrimæ, nostris Fratibus Re-  
ligiosis post aliquot annos studiorum caus-  
sa eò missis, *Angelum pacis* eum vocitare  
solebat. Eiusmodi nomina plura ex vitæ  
suæ ratione apud eosdem Patres sortieba-  
tur, præcipuè quòd *Virgo verecunda* passim  
audiret. Grandia de eodem, sed in eum-  
dem scopum collineantia, perhibere te-  
stimonia nostrates, R. P. Georgius Kurtz à  
sacris VVILHELMO Cõfessionibus, quem-  
que vt Angelum cælitus delapsum suspi-  
ciebat, amplectebatur, ac miro honore  
amoreque prosequabatur; R. P. Ioannes  
Feeg eius sedulus Magister, nec minùs  
amans obseruansque; R. P. Ioachimus Gie-  
teler (qui ei ægritudinis tempore necdum  
Sacerdos inseruiuit, quemque VVILHEL-  
MVS vnicè dilexit & commendatum ha-  
buit) postea factus Abbas anno 1611. zelo  
disciplinæ Canonice & Norbertinæ ac sa-  
lutis aliorum flagrantissimus. Quin & ipsi  
persecutores graue ei testimonium dixe-  
runt: vix enim VVILHELMVS (mirum &  
stupendum dictu) ex hac vita in cælestes  
oras discesserat, corporis ergastulo solutus;  
cùm illi, nescio qua occulta vi tacti, mise-  
rabiliter



92 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
rabiliter quæ in sanctum & innocentem  
Domini famulum designarant lamentari,  
ac quasi omni lætitia adempta numquam  
non lugere, illudque vnicum suspirare, vt  
malè in illum designatorum veniam obti-  
nere mererentur. Quo vno fatis hominis  
sanctitatem mihi testati esse videntur: quip-  
pe eius etiam precibus adscribendum vi-  
detur, quòd post VVILHELMI obitum  
ita pœnitudine acti ad frugem redierint.  
Claudent hoc caput librumque Sorores  
Horti S. Mariæ in Memmingen Ordinis  
S. Francisci, & disciplinæ rigore & vitæ in-  
tegritate laudatissimæ, quibus noster hic  
VVILHELMVS à teneris vnguiculis optimè  
notus & commendatus fuit, vt quæ ei in  
tenera ætate & ad Religiosum statum au-  
ctrices fuerint, & ad varia pia exercitia as-  
sumenda ac frequentanda induxerint: ha-  
rum literas penes me habeo, quibus mihi  
statum integerrimi Iuuenis & innocentiam  
testari voluerunt: eas fideliter in Latinum  
conuersas huc adscribere lubuit.

*Exemplar literarum.*

I E S V S. M A R I A. F R A N C I S C V S.  
**G**RATIAM celestem, auxilium, asisten-  
tiamque impetiat nobis Pater misericor-  
diarum, & Deus totius consolationis, quate-  
nus

nus elapsum annum veterem benè claudentes ac in Deo finientes, nouum ingredientē prompta volūtate, incenso fernore & feruida deuotione ritè feliciterq; auspicemur, vt hīc in mūdo ita in spiritali nostra uocatione ambulemus, vt aeternam consequi possimus gloriam.

Quod uestram, Reuerende & Religiose Domine, petitionem attinet, nouerit nobis omnibus F. VVILHELMVM Eiselin optimè fuisse notum. Is Meindelheimō oriundus erat. Habuimus hīc nobiscum Sororem senio confectam, quae illius parentes probè nouerat: panno negociari solebant, homines probi & Dei timore aēti. Sublatis illis ex hoc mundo pestilentiae morbo, qui tum grassabatur, puer huc Memmingam ad frequentandas scholas applicitus, & Parocho cuidam Georgio Harer appellato in conuictum commissus fuit. Ad cuius etiam, utpote in Monasterio Roth plurimum commendati, preces ac intercessionones, puer supradictus ab Admodum R. in Christo P. ac D. D. Martino Erman felicis recordationis Abbate in Cænobium fuit susceptus. Qui dum scholas frequentauit, satis feliciter profecit in literis: vitam semper probam, honestam, humilem ac studiosam duxit, libenter super rebus spiritalibus ac deuotis collationibus sciscitatus & collocutus. Quare Sorores nostrae eum assiduè hortari ac animum adde-

re,

94 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
re, & Religiosa vita amorem desideriumq<sup>3</sup> pa-  
rere studuerunt, quàm securè homo Deo dica-  
tus in sua vocatione viuere possit explicantes.  
Quæ omnia intimo animo complexus, seriò se-  
cum meditabatur & mente voluebat: omnia  
etiam exercitia, quibus Sorores ad vnum-  
quemque festum diem vtuntur, auidè arri-  
puit: in primis Pallio B. Virginis recitando  
(sunt certæ Rosarij preces) multùm stu-  
duit deditúsq<sup>3</sup> fuit: nullum tempus vquam  
inutiliter transegit. Est illi germana soror in  
Monasterio Monialium S. Vrsulæ Augustæ  
Vindelicorum; quæ & ipsa magna integra-  
tis Soror etiamnum superstes viuit. Nouerat  
optimè hunc VVILHELMVM, semperq<sup>3</sup> ma-  
gni fecerat, felicitis memoriæ R. P. Georgius  
Kurtz vestri Cænobij Prior. Quodam tempore  
de illo F. VVILHELMO narrari audiuimus,  
eum in primo B. Virginis Sacro (quemadmo-  
dum vsu receptum est, vt quotidie illud à Fra-  
tribus iunioribus decantetur) cantato adeò de-  
uotione absorptum fuisse, vt prorsus corporis  
sensuumq<sup>3</sup> functione destitutus esset. Mortis  
item agone instante cereos subito extinctos,  
mox cum ipse agonem inciperet ultrò reaccen-  
sos & ardentis ei luxisse, certa fide accepimus.  
Eiusmodi complura R. P. Georgius Kurtz su-  
pradiçtus nobis enarrare solitus erat. Patri-  
bus & Dominis Iesuitis conuersatio eius ne-  
quaquam

quaquam erit ignota: quia scilicet quamdiu  
 Dilingæ commorabatur, semper boni nominis  
 ac fame strictæq; ac austeræ vitæ fuit; cuius  
 immortalis præmio absque dubio in celis eter-  
 num iam fruitur ac gaudet, Deumq; pro nobis  
 exorat. Nec plura. Diuinæ ac virginæ B. Ma-  
 riæ protectioni vos committo, meq; cum spiri-  
 tualibus filiabus meis R. V. deuotis precibus  
 commendo. Data Memmingæ 23. Decembris,  
 anno Christi 1613.

R. V<sup>a</sup> fidelis apud Deum exoratrix

*Soror Catharina Zislerin, Præfecta  
 in Horto S. Mariæ.*

Hiscæ tam magnificis testimoniis VVIL-  
 HELMI nostri sanctitas asserta corroboratur,  
 ac clarior illustriorque redditur: non  
 enim ita constituti sumus, vt tam constan-  
 ter aliquẽ extollamus & prædicemus, nisi  
 insignia eius merita ac præclara facta ad id  
 nos quasi impellant, quippe qui facilius et-  
 iam de benè meritis detrahere, quàm iisdẽ  
 gloriæ aliquid falsò attribuere soleamus.

## E P I L O G V S

Ad Fratres suos Nouitios.

**H**ABETIS, Fratres vnicè mihi dilecti,  
 commilitonis vestri, & quem vobis an-  
 tesigna-

96 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
resignarum dudum quasi elegistis, ac ducem  
exoptastis, mores vitamq; stylo breui, licet ru-  
di, non tam depictam quam adumbratam: ea  
ita fruimini, ut me mei laboris in scribendo,  
vos vestri in legendo numquam pœniteat, sed  
ut utrisq; salua sint sua præmia. Si quid porrò  
in ijs quod arrideat offenderitis, DEO VVIL-  
HELMOq; adscribite; si quid quod displiceat ac  
aures vel animum offendat, virium mearum  
imbecillitati, ingenij tenuitati, temporis exi-  
guæ intercapedini (quæ meritò ab opere hoc  
oneroso me abstraxissent, nisi summus in  
VVILHELMVM amor, vestraq; importuna  
etiam preces ac cohortationes vel inuitum ad  
id impulissent) annumerate, & facilem ve-  
niam concedite. Vnum porrò est quod vos, ut  
filios meos vnicos ac tenerè in CHRISTO &  
B. Virgine dilectos, multùm summè que exora-  
tos velim, ut scilicet VVILHELMVM hunc  
velut ideam ac speculũ vitæ Religiosè & san-  
ctè instituendæ vobis statuatis, frequentesq;  
in eum obtutus figentes, & hostium quascum-  
que machinationes fortiter eludatis, incurso-  
nes viriliter sustineatis, & mortalia omnia  
mascula mente animosè triumphetis: sic enim  
vobis aternam in terris laudem ac famam,  
& immortalẽ in calis gloriam ac coronam  
parabitis.

EL O.

ELOGIVM  
WILHELMI  
ROTHENSIS

Sanctæ & immortalis memoriæ  
in Suevia Canonici  
Ordinis Præmonstratensis.

E X

HAGIOLOGIO PRÆMONSTRATENSI  
F. IO. CHRYSOSTOMI VANDER STERRE  
ad D. MICHAELIS Antuerpiæ  
Canonici ac Prioris.

S A P. I V.

*Consummatus in brevi explevit tempora multa:  
placita enim erat Deo Anima illius.*

G

7

VIDUIT  
III III III

III III III  
III III III  
III III III

III III III  
III III III  
III III III

III III III  
III III III  
III III III

9

## QVINTO KAL. APRIL.



N Rothensi Sueviæ Cœ-<sup>28. Martij.</sup>

nobio<sup>1</sup> sanctæ memoriæ  
VVILHELMI eiusdem  
Ecclesiæ Canonici Ordi-  
nis Præmonstratensis. Qui

ab ipsis tenerioribus annis, miro pie-  
tatis ardore succensus, quò vberiore  
in sanctitate progressum faceret, in  
Candida S. NORBERTI familia  
CHRISTI iugo collū subdidit: in ea-  
que<sup>2</sup> per austeræ pœnitentię rigorem,  
<sup>3</sup> per indefessum mortificationis stu-  
dium, <sup>4</sup> per inuictæ patientiæ mirabi-  
les triumphos, adeò eximiam mentis  
& corporis consecutus est puritatem,  
& vitæ innocentiam; vt <sup>5</sup> gloriosissi-  
mæ Dei Matri, & sanctis Angelis fa-  
miliaris, eorum visibili in terris appa-  
ritione subinde recreari meruerit; sed  
super omnia æternæ Dei Sapientiæ  
gratisimum præbuerit habitaculum:  
quæ non solùm viuis eum interiùs


G 2

suc-



succendit diuini amoris sui flammis; sed & exteriùs in tribulationum fornace adeò eum excoxit, vt purissimū spiritum suum, 6 per mortē pretiosam (quæ illi per Angelum reuelata est) in manus sui Creatoris placidissimè exhalarit: qui nunc in eo misericordias suas æternâ gloriâ coronauit.

## NOTATIONES.

I.  ANCTÆ memoriæ VVILHELMI.] *Etsi in omni operatione sua æterna Dei Sapiētia attingat à fine vsque ad finem fortiter, & disponat omnia suauiter; in reuoluendis tamen Sanctorum historijs notamus, eandem in aliquibus eorum conuertendis magnitudinem brachij sui declarasse, & peculiariter notam fieri voluisse fortitudinem efficacis gratiæ suæ: vt in S. VVILHELMO Eremita per S. Bernardum ex persecutore & magno peccatore mirabiliter conuerso, cuius in 1 V. Idus Februarij felicissimus Natalis incidit. In nonnullis verò Sanctorum, quos ab ipsis tenerioribus annis prauēnit in benedictionibus dulcedinis, eiusdem gratiæ suæ suauitatem specialiter manifestauit: quod in sanctæ memoriæ VVILHELMO Rothensis Ecclesiæ Canonico, cuius hīc Natalem illustrandum suscepimus, obseruare est. Ille namque in sacro Premonstrati Ordinis viridario, propter insignem animi puritatem & innocentiam,*  
*caelestis*

caelestis gratie irroratione verè germinavit sicut lili-  
 um; vel propter eximiam in aduersis patientiam,  
 inter spinas multiplicium tribulationum & infirmi-  
 tatum, feliciter excreuit in magnam gloriam Dei  
 tamquam flos Rosarum. Cuius eò gratius & odor  
 & color Ecclesiam tam militantem quàm trium-  
 phantem affecit, quò tempore magis intempesto flo-  
 ruit: eo scilicet quo in Germania plurimorum corda  
 horridum hereseos gelu constrinxerat; & in Religio-  
 se vite cultoribus primæuus Regularis vite feruor  
 non solùm refrixerat, sed & propemodum extin-  
 ctus erat. Vnde quòd per os Ecclesiastici Simonem  
 Pontificem Onie filium laudando Spiritus sanctus  
 dicat fuisse tamquam florem Rosarum in diebus  
 vernis; non adeò mirum est, quàm quòd VVILHEL-  
 MVS noster germinauerit tamquam flos Rosarum  
 in diebus hiemis: qui iam hisce exulceratissimis  
 temporibus nostris ante quadraginta annos in Suenia  
 floruit. Vitam Beati viri tribus libris complexus est  
 R. D. Martinus Mertz Cœnobij Rothensis Supprior  
 bonemeritus, quæ pluribus abñdat mortificationis &  
 familiaritatis diuine suauissimis exemplis: ex qua hic  
 aliqua, per modum prægustus cuiusdam, ad illustran-  
 dum hoc eius suprà positum Elogium, Lectori puncta  
 subiungemus; aliquãdo, fauente Deo & Superioribus,  
 eandem plenius daturi in nostro Candida IESV militie  
 Triumpho. R. D. Seruatius de Lairvelz in præclaro  
 illo suo opere Catechismi Nouitiorum, sæpè tyrons-  
 bus vite Religiose imitanda præfigit exempla ex cita-  
 ta Vita Beati nostri VVILHELMI desumpta: qui  
 etsi ætatis non esset admodum prouectæ, per obseruan-  
 tiam tamen diuine legis ac mandatorum eius in ti-  
 more Domini, super omnes docentes se intellexerat: eò

quòd à tenerioribus annis pedes suos conuerterat ad ambulandum in lege Domini immaculata quæ conuertit animas, & intellectum dat paruulis. Nominatim autem eius admodum honorificè meminit Parte prima citati Catechismi Lectione 78. documento tertio, quo agit de mortificatione tactus. Rothum (inquit) Monasterium est Ordinis nostri in Suenia, quoad Regularis disciplina exercitiũ nulli secundum, inter plurima autem facillè primum. In eo ante annos triginta circiter emicuit immortalis memoria dignus F. VVILHELMVS Eifelin, adolescens ætate, virtute prouectus, naturâ homo terrestris, vitâ Angelicus, & ob suam puritatem virginèam Angelis, Angelorumque Reginae MARIÆ unice dilectus & familiaris. V. D. Ioannes Frumentius in literis post Capitulum generale anni 1618. ad nos datis, B. VVILHELMVM Eifelin vocat virum innocentissimæ vitæ, orationis quàm studiosissimum. Et certè, in istam tam singularem sanctimoniam eum aliquando diuinâ gratiâ prouehendum, non dubiis colligi dabatur argumentis, etiam in ipsa sua teneriore ætate. Meminit eius rei R. P. Martinus Mertz, quam ex eorum didicit ore, quibus dicti Beatissimi VVILHELMI status & vitæ conditio omnis perspecta & cognita fuit. Erat magnus hic Dei famulus (inquit) à primis statim pueritiæ annis suprâ quàm credi possit silentij & solitudinis amans Zelansque: puer enim adhuc in seculo abditis recessus & angulos amabat, ut ibi loquentem sibi ad cor Dominum audiens, spiritu eius mellifluo recrearetur, ac celestibus illis letitijs solitudini promissis inundaretur. Quo voto nequaquam sanè frustratus, cumulatè quesita inuenit, unde deinceps maior semper maiorq; & amor & cura solitariae habi-

habitationis & cellule monastica mirificum studium in eius pectore creuisse eluxit: ita ut in Cœnobio, alijs ad ludos, alijs ad alia dilapsis, VVILHELMVS non alibi querendus aut inueniendus fuerit, quam vel in cellâ libris, crebrius orationibus intētus, vel in templi aliquo angulo in genua prouolutus deuotissime Rosarium percurrrens, aut contemplationi vacans. Dilinge humanioribus adhuc literis operam nauans, per sepe quando cum alijs ad campos animi relaxandæ gratiâ egrediebatur, integras horas ibi flexis humi genibus ponè arbores summa cum deuotione precibus ad Deum fundendis consumpsit. Ibidem morē habuit ad Crucem quamdam peruetustam in Religiosorum domo, tempore à literarijs negotijs vacuo, præsertim verò sub noctem post examen conscientie peractum, diutissime frequentissimeque orare ac contemplari. Hæc Martinus Mertz, & ex eo R. D. Lairvelz, ut Religiosis cella secretum commendet, & solitudinis sanctæ amorem ingeneret: in qua Beatus noster tot celestibus fauoribus & delicijs affectus & perfusus est; in qua illam raram sibi impetrauit in Deum, in Deiparam sacram, & in omnes celi cines Beatos pietatem; in qua denique (ut infrà num. 5. dicitur) modò Angelorum, modò ipsiusmet Regine Angelorum adspèctu subinde recreatus fuit. Næ ego (inquit) eiusmodi Cellitam magno pretio redemerim, qui verè in solitudine sua gustauit & vidit quoniam suauis est Dominus; cellæque adminiculo, breuis temporis spatio ad perfectionis apicem & dulcedinis internæ plenitudinem peruenit. Itaille, qui in eiusdem sui Catechismi Tomo primo Lectione 93. quæ est de mortificatione intellectus circa curiosa, documento ibidem quinto, ut Religiosos tyrones incitet ad coniungen-

dam cum studijs literarum solidam pietatem, post allegata SS. Bernardi & Thomæ Aquinatis exempla, qui plus orando quàm studendo profecerunt; hac subiunxit: Inter hos iure recenseri meretur noster Rothenfis VVILHELMVS, qui ad Academiam Dilinganam studiorum causa missus, cum ingenio esset tardiori & minùs capaci; duas sibi vias tota mente persequendas statuit, quibus natura defectum adiunaret & suppleret: quarum prima magnum laborem & indefessum conatum in literis positum complectebatur: quia verò nec illà semper optatum progressum facere poterat, ad fortius certiusque perfugium animum applicuit, assiduas scilicet & feruentes preces; quibus sanè tantum assecutus fuit, quantum nec reliqui omnes non solùm diurno labore, sed nocturnis etiam & antelucanis vigilijs & summa virium contentione. Idei testimonium perhibuit eius Præceptor, suos discipulos palam in scholis sic affatus: Iste pius & bonus Frater (VVILHELMVM monstrabat) plus proficit suis deuotis orationibus, quàm vos vestro diurno, nocturno, improbo, ac penè insano labore. Sepissimè visus fuit ad suum Museum, cum studia non procederent, aut si alicubi hereret, nec in quod incumbere percipere posset, in genua pronoluitus, totum tempus feruentissima precatione consumere, præsertim Rosarij B. Virginis recitatione: qua ratione eum plus hausisse profectus, quàm assidua ingenij exercitatione & defatigatione, experimento cognitum fuit. Et hoc merito sanè: sciebat enim, eum quem Deus instruit tantum in omni doctrine genere excellere, vt multis reliquos interuallis post se relinquat. Hac de pia studendi ratione Beati Fratris nostri.

2. Per austeræ pœnitentiæ rigorem.] Quàm in se fuerit rigidus VVILHELMVS, hisce verbis in eius Vita lib. 2. cap. 15. refert R. P. Martinus Mertz. Iste igitur VVILHELMVS, non sine austerioribus macerationibus virginalem pudorem tutum fore sibi persuadens, tam austerè se afflixit, ut mirum sit quomodo in tantis austeritatibus vita eius prorogari potuerit. Etenim in cilicina veste ita crebrò vehementerque usus, ut corpus totum & undique attritum videretur, & cilicium ex frequenti austeraque usurpatione vim ferè omnem amitteret. Et sanè vix Patrum spiritualium iussu ab eo portando (ne se omnino conficeret) abstrahi & absterreri potuit. Flagellis quantum in se seuerit, quàm dirè corpus dierberauerit, quàmque seueras de seipso pœnas sumpserit, non est quod multùm explicem: etenim & huic generi pœne deditissimus fuit. Dilinge porrò ad omnimodam corporis subiectionem parandam vix unquam lecto usum, sed maximam partem vestitum, culcitra straminea & duro assere eum cubare solitum, ab illius coeui certa fide accepimus. Nec minor fuit in alijs austeritatibus vita; ita ut hominibus, etiam vulgaribus & rusticanis, magnam de se opinionem & admirationem sanctæ vitæ fecerit. Sed quid mirum si austeritatibus magnum sibi apud homines sanctitatis nomen comparauit, qui multò maius gratiæ meritum per easdem apud Deum promeruit? Ostendit nempe Deus, quàm sibi grata sit durior corporis maceratio, amore Castitatis exhibita; dum tunc, quando mortalium plerique nauseam & horrorem adspicientibus creant, VVILHELMVM nostrum fragrantia odoris suauissimi, gratissimaque oris venustate, post mortem scilicet, admirabilem fecit. De quo a-

git R. P. Martinus Mertz *Vitæ eius lib. 3. c. 8.* & nos ex eo inferius numero sexto.

3 Per indefessum mortificationis studium.]  
 Quam insigniter sese Beatus hic Adolescens in mortificationis palastra exercuerit, pluribus ex eius *Vita* declarat R. D. Servatius de Lairvelz *Catechismi sui Parte prima Lect. 88.* qua regula Novitio præfiguntur ad mortificationem amoris proprii: eidemque Documento quinto, ut in abnegatione sui ipsius totus sit, & sibi semper displiceat, seipsum deiciat & despiciat, aliosque sibi præferat, seipsum autem inutilem planè servum & cunctis Dei miserationibus minorem reputet; præfigit exemplum Beati nostri hisce verbis: Talem se aliquando fuisse glorientur Rothenses nostri, talem quicumque sumus, nobis imitandum proponamus VVILHELMVM illum, cuius iam aliàs mentio incidit; quem in abnegando seipsum operam tam impigram collocasse didicimus, ut quamvis diuine gratiæ donis omnes alios anteiret, nihil tamen nisi vile & abiectum ac vituperatione dignum de se sentiret. Passim apud plerosque stultus audiebat & habebatur (quemadmodum mundo solemne est, sapientiam Dei indicare stultitiam) ut vilis & abiectus contemnebatur, iniuriis laceßitus creberrimis. Id quod ipse non solùm iustè sibi accidere reputabat, partim omni etiam maiori ignominia dignum se iudicans, partim pro Dilecti sui amore, & vel leuiter neglecti Numinis pœna longè grauissima ferre ultrò paratus; sed etiam contemptu illo incursumque quotidiano, tamquam spoliis opimis letatus, hilarem & inuictam aduersus omnia mentem retinebat. Contemptores præterea suos miro amore & beneuolentia prosecutus, nullum eis quacumque ratione posset, benefa-

ciendi

ciendi studium laboremque præterlabi patiebatur. Sermo eius erat submissus, & placidus; de alijs magnificè, de seipso abiectè loquens. Incessus religiosus, deuotus, & simplex; omnium membrorum, internorum etiam, moderatio singularem animi demissionem redolebat: & ut verbo dicam, omnis eius actio, erat insignis & profunda humilitatis instructio. Illud præ ceteris excelsam planè suiipsius abnegationem indicat, quòd etiam à suis intimis interrogatus & requisitus super donis talentisque, maximè qua miraculum saperent, à Domino sibi collatis, aliàs iam quasi euulgatis, adeò nil fateri volebat; ut etiam sua supra quàm estimari posset attenuando ac deprimendo, planè aliter de se absente, aliter de præsentè, sentire & opinari homines faceret. Hæc de abnegatione Sancti viri Reuerendus ille Abbas & S. T. Doctor eximius, qui eadem Parte prima Catechismi sui Lectione 83. eundem omnibus imitandum præfigit in accurata ratione discutiendi seipsum particulari examine ad omnes passionum pullulantes frutices radicatus exstirpandos: qua discussione mediante, adeò sese magno cum profectu plurimi in mortificationis studio exercuerunt, ut vix in ipsis aliquando vel passionum vestigia remanserint; tamque mirificè in perfectionis studio profecere, ut brevi temporis intervallo in nulla non virtute emicuerint. Non longius (inquit) ad hæc confirmanda excurram, vnus VVILHELMVS, Ordinis nostri in Rothensi Monasterio celebri celebris Asceta, nobis instar plurimum sit. Qui, teste P. Martino Mertz Vite eius lib. 1. c. 7. particularis examinis usu, neos quoscumque animi etiam leuissimos, in primis illos motus quibus magis se infestari senserat, & unde reliqui affectus vel ortum ducerent, vel  
magnam



magnam saltem vim liberiùs debacchandi acriusque seuiendi acciperent, insigni studio, feruenti Zelo, indefesso labore eradicare numquam cessauit; non quidem omnes vno praelio persecutus, (sic enim vires in plura distrahens, vix quidquam posse præstari egregij non ignorarat) sed vnum ex alio aggressus, & mortificationis gladio succidens, breui eò deuenit, vt summâ menti malaciâ procreatâ, tranquillum omnia possiderent, neque vllus turbo vel procella vsquam quietem interturbare auderent: vel si caput surrigere conarentur, quod humanum est, mox velut portione medica consopita, vel veriùs iugulata subsiderent, ipsumque indemnem ac victorem relinquerent. Inuenit fortasse non parum ad Nouitiorum animos acuendos, modum hic inferere, quem sibi hic ipse VVILHELMVS in hoc examinandi genere tenendum proposuit: vt cum ex illius verbis eum cognouerint, praxin eiusdem faciliùs amplectantur, & fructuosius continuent. Illius igitur verba ex Exercitiorum eiusdem scrinio ab eius Vitæ Auctore deprompta lib 2. cap. 8. hæc sunt:

Hoc examen propriè spectat & valet ad vnum certumque vitium breui tempore extirpandum, verbi gratia cholera; & bonum aliquod certum consequendum: idque hoc pacto, vt fiat minimum bis in die, manè prandium circiter, & vespèri antequam eamus cubitum. Die Dominico manè consideres quoties eo die, verbi gratia, cholera, peccaris ad prandium vsque: & si contigit vt verbi gratiâ quinquies, quinque puncta in priori eius diei linea signes; si sapiùs, plura puncta iuxta numerum delicti annotes. Vespèri autem pari ratione teipsum erga hoc vitium excutias, sed numerum punctorum in posteriorem lineam eiusdem

eiusdem diei, verbi gratiâ Dominica, reijcias; qua  
 dubio procul pauciora erunt quàm ante prandium:  
 hocque eodem modo in singulos dies utare; neque am-  
 bigas mox futurum, ut circa idem vitium nihil om-  
 nino aut certè parum deinceps tenteris, si tamen de-  
 bito modo & studio omnia peragantur, & cum propo-  
 sito emendationis firmo. Quoad bonum verò certum  
 aliquod consequendum, idem ipse modus servatur,  
 verum in altera parte tabule; ut sicut antea in priori  
 notabas puncta peccati, sic iam in sequenti huius  
 virtutis, verbi gratiâ laudandi Deum, actus, eorūque  
 multitudinem, ut dictum est, signes. Hoc exercitio  
 fit, ut peccatum semper decrescat, & virtus quàm  
 maximè augeatur. Atque hæc ex Exercitiorum the-  
 saurario Beati nostri. Ad huius particularis Exa-  
 minis praxin pluribus hortatur omnes Premonstra-  
 tensis Ordinis Religiosos admodum Reu<sup>dm</sup> D. Ioan-  
 nes Drusius S. T. L. Abbas Parcensis, nec non  
 Reuerendissimi Generalis Ordinis eiusdem per Cir-  
 carias Brabantie & Frisie Vicarius, in illo suo, mole  
 quidem exiguo libello, sed verè aureo, qui contentorum  
 magnitudine verè magnus est; in quo velut illa Eze-  
 chielis aquila mystica, medullam non cedri, sed vite  
 sancte, & spiritualis conuersationis, neruose docet  
 & complectitur: quemque omnibus Prouincie sue  
 Religiosis, tamquam memoriale quoddam grandis  
 sue vocationis, Patres Capituli Prouincialis Parcen-  
 sis anno 1622. celebrati, iudicarunt præfigendum.  
 In eodem de hoc particulari examine & modo exstir-  
 pandi vitij & acquirende virtutis agitur cap. 14.  
 Iacobus Alvarez de Paz, Secundi Tomi, quem edi-  
 dit de Fuga peccati & acquisitione virtutis, libri  
 tertij Parte tertia, qua tractat instrumēta acquiren-  
 de

de virtutis que ad voluntatem pertinet, à capite quinto vsque ad 13. inclusiue, pluribus agit de hac (prout vocat) cura particulari, quam ibidem octauum virtutis acquirenda instrumentum tradit. Huius examinis praxin in Ordine Premonstratensi, iuxta exemplum B. nostri Rothensis VVILHELMI, opportunè exercuerit auidus salutis sue negotiator, in Statione ante vtramque refectionem seruari solitam, vt & in alijs Stationibus: vnde videre est (inquit R. D. Lairuelz.) quam sit multiplex Stationum in Premonstratensi Ordine tam ante refectiones quam Officia diuina indictarum vsus & fructus.

Hoc particularis examinis exercitio, tamquam via compendiosa, dictus noster VVILHELMVS iter perfectionis feliciter confecit: & non modo affectus, si quos habuit minùs bene compositos, breui temporis spatio ad regulam rationis effinxit; sed etiam conscientiam tantæ serenitatis & puritatis sibi comparauit, vt plerumque dum confiteri vellet, non haberet quod clauibus absolutionis subiiceret. Sapissimè (vt lib. 2. Vitæ ipsius c. 11. habetur) à Patre spiritali, cum confessionem institueret, sine absolutione dimissus fuit, his verbis: Vade fili in pace, nihil habes. Tantam scilicet conscientie sue puritatem procurabat, vt de vna confessione ad aliam ferme absque omni etiam leuissima quasi culpa permaneret in simplicitate cordis, que mira in illo erat, & iugi anime in celum elevatione, cur. in Deo sincerè ambulans. Sed illud certissimam conscientie eius puritatem certò testatam facit, quòd Dilingæ inter ipsum & dictum Patrem illius spiritualem enènit. Venerat quadam die ad portam Collegij RR. PP. Societatis IESV, petens aditum ad R. P. Iulium, vt confessionem ei facere posset;

WILHELMI ROTHENSIS. III

posset; sibi enim in animo constitutum esse pro ratione sacrae dei ad sacram Synaxin accedere. Nuntiatur id Patri: qui VVILHELMO non admissio renuntiari iubet, secedat in pace, ac secura mente communicet. Quod & ille simplex Obedientia filius absque tergiversatione fecit. Rarum sanè hoc est, & in tali aetate rarissimè auditum. Similia omnino testimonia in eadem rem dixit P. Gregorius Kurtz ei in Monasterio à Confessionibus. Afferuerat quandoque, nolle se amplius exomologeses illius excipere, quod & indignus foret tanto tamque immaculato homini Pater spiritualis esse, & ipse VVILHELMVS non afferret, unde absoluendi materia suppeteret. Hæc ibi.

4. Per inuictæ patientiæ mirabiles triumphos. ] Patientiam dicit Apostolus habere opus perfectum; unde ipsa meritò habetur tamquam lapis Lydius veræ sanctitatis: & in Sanctorum Canonizationibus potissimum fura Canonica inquiri cupiunt num adscribendus in Sanctorum numerum etiam in omni patientiæ genere exercitatus fuerit. Solet Spiritus sanctus electis suis vel immittere vel permittere multas patientiæ occasiones, quæ tamquam Austrini quidam flatus, vel tribulationum turbines, illos sanctarum mentium omnium florum genere pro delicijs æternæ Dei Sapientiæ consitos hortos persilent ac salubriter exagitent, ut fluant aromata illorum. In hoc patientiæ gymnasio probè exercitatus est Beatus noster: de quo in citato sæpius Catechismo R. Dominus Lairuelz, Parte prima Lect. 56. qua agit de feruore prout opponitur acedia, documento quinto, Religiosos animans, quod ob aliorum diçleria & scommata opus bonum aggredi vel perficere non formident; in medium profert VVILHELMVM nostrum hisce verbis:

Talens

Talem ante annos plus minus triginta videre fuit in celeberrimo Monasterio Rothensi, iuuenem quidem annorum numero, sed feruore etiam grandioribus maiorem, VVILHELMVM illum dico beata memoria, qui cum in ea tempora incidisset, quibus liberior viuendi licentia quo suis in Monasteriis peruertat, sibi autem ratum & constitutum esset, exactissime & ad amussim (quod aiunt) relicta peruersorum consuetudine, qua sui muneris essent, exsoluere, non potuit non habere sibi ipsos infensissimos. Testis est Reuerendus admodum Dominus Abbas Ioachimus, qui hodie clauum ibidem loci tenet, & per totam Suenia circariam Reuerendissimi Domini Pramonstratensis vices agit, illasque innocentis persecutiones oculis ipse suis conspexit: testis est R.P. Martinus Mertz eiusdem Monasterij Supprior, qui VVILHELMI huius Vitam literis commendauit; & cum de patientia, mansuetudineque ipsius agit, lib. 2. cap. 17. haec refert: Cum igitur is (videlicet in vitiorum semita circumacti, & a disciplina Regularis exercitio mente & actu alieni) VVILHELMVM etate iuuenem, verecundiam Angelum, vitam innocentissimum contuerentur, tantisque interuallis sese ab eo superari; vita insuper sua effrenem licentiam, eius inculpatam argui & confundi vsque ad oculorum dolorem viderent; lioris ac inuidiae spiritu excacati, vitam eius existimantes insaniam, omnia aduersitatum iacula in eum torquere, & imbrem iniuriarum in eum effundere, alij obscurius iniquos, alij non dissimulanter iratos infensosque, imò manifeste inimicos & acerrimos persecutores se erga illum exhibere nunquam cessarunt. Hinc agnominibus supra modum ignominiosis ei illudere, eumque non nisi stulti loco habere, ac palam ita

eum

eum iactare, solemne ac perpetuum eis erat: similiter tanta in eum designare, quanta & qualia, præsertim à Fratribus illata, si percipiat animus, perhorrescat. *Audiuimus ex his nonnullos, post illius obitum, illud unicum unice & acerbè deplorantes, adeò sæuè in VVILHELMVM grassatos fuisse; illud unice expectantes, & toto pectore optantes, nimirum malè in VVILHELMVM designatorum veniam. Quorum unus præterea asseruit abundè sibi præstitum iri, si eorum à Deo immortalis veniam consequatur, quæ peruersè in VVILHELMVM statuerit: tantum scilicet horum grauitas eum urebat, ut reliquorum omnium videretur oblitus. Sed quid in istis VVILHELMVS? an propterea deiectior, aut in sancta vitæ studio remissior? Minimè gentium. Feruor quem imbiberat, amor quo ardebat, effecere ut hæc omnia forti, constanti, nec non hilari animo perferret, & quasi non aduerteret: numquam etiam vel paulò tristiores inde aut perturbatiorem affectum subiret: quin contra, insignia charitatis officia eis, quacumque ratione posset, exhibere numquam prætermitteret: Patrem suum cælestem instantissimis precibus exorando, atque propitium eis reddere summa deuotionis contentione laborando. Ita Auctor Vitæ eius. Ex quibus Lector intelligat, quàm non sine fundatissima ratione eum superius Rosæ assimilauerimus, quæ inter spinas germinarit rigentibus brumæ frigoribus: adeoque in Sancto hoc Adolescente suo modo veneramur, quod in Dilecto suo Sponsa in Canticis commendat; quod scilicet candidus sit ac rubicundus: quia per virginæ castitatem ad instar lily candidus fuerit, per inuictam autem infracti in aduersis animi patientiam velut Rosa rubicundus.*

5. *Gloriosissimæ Dei Matri & sanctis Angelis familiaris.] Per hanc suam eximiam puritatem, & in aduersis inuictam patientiam Sanctus hic Adolescens spectaculum Deo factus & Angelis eius, adeo in se caelestium illorum ciuium oculos & affectum rapuit, ut eius sanctissimo contubernio delectati, etiam exterius pro diuino beneplacito sese ipsi subinde ad consolationem eius visibiles exhibuerint. Cum enim VILHELMVS quotidie de se gratissimum Deo holocaustum offerret in flammis diuinae charitatis & ignibus variarum harum tribulationum; exciti fragrantia odoris suauissimi quo semetipsum in gloriam diuini beneplaciti totaliter adolebat, animæ huius in fragili corpusculo puritatem admirantes, indubie repetierunt illa verba ex Canticis: Quæ est ista quæ ascendit de deserto, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ (propter exercitia mortificationis & patientiæ) & thuris (propter fragrantiam purissime conuersationis, & assiduitatem orationis) & vniuersi pulueris pigmentarij, propter alias ipsius virtutes quæ illum celo tam gratum facerent? Vnde non solum aliquoties ab Angelis visibiliter ipsi apparentibus, sed & ab Angelorum Regina Sanctissima Dei Matre visitari meruit. Quod maioris fidei gratia hic ex ipsius Vite Historia adscribere placuit: & refertur etiam à R. D. Lairuelz, Tomo 2. Catechismi religiosi Lect. 26. Documento siue Regula 5. Diximus supra, eundem Dilingæ solitum ad peruerstam quamdam Crucem diuissime sæpius orare ac contemplari: coram hac eadem Cruce quadam vice diuissime ac deuotissime oranti Angelus caelesti gloria ac splendore præfulgidus apparuit, Dominique famulum conseruum suum consolatus & affatus, in-*

ter

ter reliqua, corporis solutionem breuē ei instare edocuit. Quo ex tempore VVILHELMVS solito magis orationi alijsque deuotis exercitijs insistens, in tantam cum Angelicis mentibus familiaritatem ac consuetudinem venit, ut egritudinis sua tempore, cum statas Ecclesie iuxta Ordinis sui ritum Preces (quas Horas Canonicas appellamus) Domino suo solus psalleret; Angeli ad eum de celo delapsi alterna cum eo voce eas percurrerent, ac gratissimum Chorum constituerent: quod mira ipse simplicitate Magistro suo fassus dicebat, eos (Angelos intelligebat) ad se venire, Precesque Horarias secum recitare; ac subinde se, subinde verò ipsos, citius tardiùsve versus absoluere, ut ita alteri alteros, usque dum & ipsi absoluerint, prestolari necesse habeant.

In illa quoque extrema sua egritudine, ex Dilingana Academia in Monasterium reductus, cum morbus, quò minus statis Chori Psalmodijs (quibus cor eliquari senserat) interesset, impediret; ne omni spiritus dulcedine fructuque, ut sibi videbatur, priuaretur destituereturque; sæpiùs Sacellum dextro Chori lateri iunctum (nunc in Campanile mutatum visitur) ingredi, ibique Fratres Psalmos percurrentes, alacriter attendere, ipse etiam deuotis precibus, aut piis contemplationibus animum suum pascere, celumque pulsare studuit. Quadam igitur vice, sub Completorij nocturni decursu, illic coram sacra icone in genua prouoluto, & ardentissimè precanti, sistit se Virgo Beata, Domina nostra clementissima; alloquitur, famulumque suum mirificè exhilarans, & supra quam dici possit, celesti dulcedine inebrians, mirabile amoris incendium in eius pectore excitauit, &



languore quodam sui, longè quàm antè ardentiori, eternitatisque validè vulneravit. Sicque dulciter affectum ac consolatum dimittens, disparuit. Hac ibi. qua inter cetera nobis argumento esse possint, quàm ad purum debuerit omnis mentis ipsius scoria fuisse excocta, quem tam singulari in terris favore Angelorum Regina dignaretur.

6. Per mortem pretiosam.] Cùm in VVILHELMVM hunc nostrum meritò quadraret illud Sapientis: Consummatus in breui expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius. ideo etiam in eodem Deus complere voluit, quod ibidem subiungitur: Propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum: populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordijs talia: quoniam gratia Dei & misericordia est in Sanctos eius, & respectus in electos illius. Habet hoc locum in illis, qui viventis nostri VVILHELMI vitam aestimarant insaniam, & finem sine honore. Verùm Deus omnipotens, mundo testari volens, quàm in conspectu eius fuisset VVILHELMI mors pretiosa; hoc tempore quo mortalium plerique nauseam & horrorem adspicientibus creant, eundem hunc Dilectum suum fragrantia odoris suavissimi, grataque oris venustate admirabilem fecit: post mortem inquam suam, quando (ut habet R. P. Martinus Meriz Vite eius lib. 3. c. 8.) præter communem aliorum morem corpus ipsius non fœdæ formæ, horribiliisque adspectus fuit; sed facies antea ob summam mortificationis vim ac gravitatem assidue subpallida, hinc velut virginea, non ad horam unam alteramve, sed in sepulchrum vsque visa fuit pulchrè rubesce-

bescere: os non deductum, sed elegantius vino dispositum: oculi non horridi, sed viuidi, pellucidi & incundi: tota corporis ac imprimis faciei compositio tam venusta, tamque decora & grata, ut quotquot ad eum ingressi essent, viuere illum ac melius quam unquam affectum esse certo estimarent; nisi defunctum alij assererent. Nullum porro vel minimum foetorem corpus tam diuturno & lento morbo conflictatum profundeabat: sed miram fragrantiam, ac supra quam dici possit, suauem ex se efflabat odorem, quem multi cum magna animi admiratione ac dulcedine se percepisse testati sunt. Hæc & alia ex Vita VVILHELMI nostri. quæ fortasse diffusius paululum hîc pro Notationum & Scholiorum horum exigentia deducta videbuntur: verum ea ratione id factum est, ut constet ijs qui carnem suam nimis tenerè amant, etiam hoc tempore adhuc viuere magnum illum Deum, in quo olim tam magna & magnifica pro ipsius gloria Sancti potuerunt: quos salubriter proinde confundere natum est exemplum Beati huius Fratris, ne (ut solent) se antiquis illis vitæ Religiosæ austeritatum sectatoribus impares esse conquerantur quoad corporis vires & robur; ac longè iam debiliora esse corpora, quàm ut austerum illum priscorum Patrum viuendi morem, prolixas preces, indefessas mortificationes, multa ieiunia, disciplinas, cilicij gestationes, duras humi cubationes queant imitari. Habent etiam recentia Sanctorum nostri temporis exempla nescio quid tacitæ energie, ob ætatis propinquitatem, ut ad imitationem sui nos pertrahant.

*Coronidis loco subtexo piissimi Fratris Epitaphium  
quod in Rothensi Cœnobio habet:*

DEO ET MEMOR. §.  
SISTE GRADVM VIATOR:  
HIÇ SITVS EST  
F. VVILHELMVS EISELIN,  
VIRTUTE QVAM ÆTATE MAIOR,  
CÆLO QVAM TERRA DIGNIOR:  
FLOS INTER SPINAS,  
ET  
INTER FLORES LILIVM.  
DECERPSIT FLOREM DEVS,  
QVIA PLACVIT.  
CARPIVS DVO NOBIS POST SE RELIQVIT  
CHARA PIGNORA  
ODOREM ET CAVLEM.  
HVNC  
FRATRES ISTHAC CONDIDERVNT ARCVLÆ:  
ILLE  
PER ORBEM FRAGRAT CANDIDISSIMVM.  
OBIIT AN. CHRISTI CIO. IO. LXXXVIII.  
ÆTAT. XXIV. DIE XXVIII. MARTII.

*Communicavit illud mecum Reuerendus ac Religio-  
sus P. Martinus Mertz nunc Rothensis Ecclesiæ  
Prior, ac in communi Nouitiatu Suenicæ Circariæ  
Tyronum Magister: à quo etiam nuper VVILHEL-  
MI Vitam recepinus, quam in Candidi Lectoris gra-  
tiam publici hinc iuris fecimus: cum in HAGIOLO-  
GIO nostro Premonstratensi, quod hæc Vita ad manus  
meas necdum pervenisset, nonnulla solum eius frag-  
menta, quæ per religiosum Carechismum Seruaty de  
Lairvelz sparsa collegeramus, ad dedicandam reli-  
gio-*

*giosissimi Fratris huius memoriam, in hac Scholia retuliffemus.*

*Cum magna autem animi mei voluptate ex literis R.P. Martini Mertz nuper ad me datis intellexi, offa B. M. VVILHELMI suauiffimum spirare odorem, qui & animum penetret; quem plures etiam magni doctiffimiq̄ue cum magna admiratione experiti: ut merito illud Sapientis eidem applicaueris, quo Iofiam aliquando Spiritus fanctus celebrari voluit: Memoria VVILHELMI in compositione odoris facta opus pigmentarij, &c.*

*Lufit non-nemo Rothenfium Afcetarum hofce aliquando in VVILHELMI laudem verficulos:*

Apis quid melle dulcius?  
 Quid est Phæbo fuauius?  
 Quid est cælo iucundius?  
 DE I numquid non Spiritus,  
 Quo VVILHELMVS diuinitus  
 Tactus fuit medullitus?  
 Tanta DE I dulcedine  
 Inebriatus intimè,  
 Perfectionis femitam  
 Cucurrit greflu celeri,  
 Et mente femper vigili.

F I N I S.

H 4 FACVL-

# FACULTAS

*Reuerendissimi Domini D. Abbatis Archicænobij Præmonstratensis & totius Ordinis Candidi Generalis.*

**P**ETRVS Goffetius, Christianissimi Francorum Regis Consiliarius & Eleëmofynarius, Dei & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Præmonstrati Abbas, totiusque Canonici Præmonstratensis Ordinis Caput & Reformator Generalis, omnibus quorum intererit salutem. Pro parte Reuerendi admodum Domini vti Confratris nostri D. Abbatis S. MICHAELIS Antuerpiensis nuper exhibita nobis petitio continebat, quatenus concedere dignaremur facultatem F. IOANNI CHRYSOSTOMO VANDER STERRE, S. Theologiæ Baccalaureo formato, & dicti Monasterij Suppriori, in lucem producendi quæ de Vita Sanctissimi Patris nostri NORBERTI conscripsit, necnon alia concernentia Sanctos Ordinis nostri, si modò erunt eiusmodi, vt splendorem aliquẽ Ordini adferre possint. Nos igitur, qui nihil æquẽ in votis habemus, quàm vt eius eximia sanctitas & vitæ ornamenta to-

to celebrentur orbe, qui nobis Canonicae Religionis Auctor fuit, & Præmonstratensis huius sedis Conditor & nominis Institutor, (quam sanè ad rem non parum conferre arbitramur eorum illustrationem literarum monumentis qui tanti Patris genuini filij eandem quam ille vitæ formulam, idem institutum tenuerunt,) & petitionem huiusmodi pro parte præfati Reuerendi Abbatis gratam, ratam & acceptam habentes, & dicti CHRYSOSTOMI laborem & industriam plurimum laudantes, cuius hæctenus nobile nobis specimen dedit excudendis virorum Ordinis nostri sanctitate illustrium Iconibus & Encomijs, ad eorum memoriam ab obliuione vindicandam; eidem tenore præsentium, prout petitur, quidquid de Vita Sanctissimi Patris NORBERTI, & gestis virorum qui sub instituto NORBERTINO & Præmonstratensi nomine floruerunt, & omnino quidquid de nostri Ordinis exordio, causa, origine, incremento, propagatione, Monasteriis vtriusque sexus, Auctoribus, alumniis, Fundatoribus, Pontificum & Principum priuilegiis, Regula & Instituto Canonico, dignitate & celebritate, aliisque eiusdem argumèti, elucubratum, limatum & expolitum in manibus pro tempore præfenti habet, &

in futuro habebit , petita prius & obtenta  
Reuerendi Domini Abbatis Parcensis , vel  
Vicarij nostri pro tempore in Circaria Bra-  
bantiaë existentis approbatione , in lucem  
edendi & typis excudi faciendi facultatem  
concedimus & impertimur. Districtè præ-  
cipientes omnibus & singulis dicti nostri  
Ordinis Regularibus personis , vt prædicto  
CHRYSOSTOMO grato concurrentes affe-  
ctu, monumentorum quæ de præmissis edo-  
ceant, vltro ad Omnipotentis Dei gloriam,  
& Ordinis nostri splendorem , breuia &  
transumpta apporrigant, vel saltem rogati  
& requisiti ne denegent. Datum in nostro  
Præmonstratensi totius Ordinis Archi-  
cænobio , die decimotertio mensis Augu-  
sti , anno Domini millesimo sexcentesimo  
vicesimo.

P. GOSSETIVS *Abbas Præmonstratensis*  
& *totius Ordinis Generalis.*

De mandato Reuerendissimi Domini  
D. mei Præmonstratensis,

*F. Dominicus Gerardus Secret.*

# L I C E N T I A

ADMODVM R. D. VICARII.

**E**GO F. IOANNES DRVSIVS S. T.  
Licentiatus, Abbas Parcensis, &  
R<sup>mi</sup> Domini D. PETRI GOSSETII Ordinis  
Præmonstratensis Generalis, in Circarijs  
Brabantiaë & Frisiaë Vicarius, permitto vt  
Vita digniff. mem. VVILHELMI ROTHENSIS  
Cœnobij, eiusdem nostri Ordinis Canonici,  
à V. D. Fratris Martino Mertz ibidem  
Priore conscripta, & à V. D. Fratris  
Ioanne Chrysofomo vander Sterre,  
Antuerpiaë in S. Michaële Priore,  
Elogio illustrata, ad publicam ædificationem  
typis mandetur. In cuius fidem subscripsi,  
& sigillum nostrum his imprimi curavi.  
Datum Bruxellis, xvii. Aprilis,  
M. DC. XXVII.

IOANNES *Abbas Parcensis, Vicarius.*

AP-



APPROBATIO CENSORIS.

VITAM hanc sanctæ & immortalis  
memoriæ VVILHELMI RO-  
THENSIS Canonici Ordinis Præmon-  
stratensis in Sueuia, conscriptam ab admo-  
dum R. P. Martino Mertz Rothenfis  
Cœnobij Priore, nec non Communis No-  
uitiatus Prouinciæ Sueuicæ Directore, pu-  
blicatam verò & Elogio illustratam per  
R. P. F. Ioannem Chrysoftomum vander  
Sterre, in S. Michaële Antuerpiæ Canoni-  
cum & Priorem eiusdem Ordinis Præ-  
monstratensis, luce dignissimam censui,  
Antuerpię, die xv. Februarij, M. DC. XXVII.

*Zegerus van Hontzum, Canonicus  
& Pœnitentiarius Antuerpiensis,  
Librorum Censor.*


Cum Priuilegio Catholici Hispaniarum  
& Indiarum Regis, & Potentissimi Belga-  
rum Principis, ad sexennium.


Signat.


*De VVitte.*


ANTVERPIÆ  
EX OFFICINA PLANTINIANA  
BALTHASARIS MORETI.  
M. DC. XXVII.


















Th  
2439